Dr. PHILIPPUS OPPENHEIM O.S.B.

INSTITUTIONES SYSTEMATICO-HISTORICAE IN SACRAM LITURGIAM

LITURGIA GENERALIS

SERIES II

LITURGIA FUNDAMENTALIS

VOL. VII.

Principia Theologiae liturgicae

DOMUS EDITORIALIS MARIETTI
Sanctae Sedis Apoetolioao et S. Rituum Congregationis Typograi>hi

Dr. PHILIPPUS OPPENHEIM O. S. B.

PRINCIPIA THEOLOGIAE LITURGICAE

Liturgia ut didascalia Ecclesiae
De valore Liturgiae dogmatico et ascetico
Lex orandi - lex credendi
Argumentatio theologica ex textibus et ritibus liturgicis
Liturgia ut schola vitae Christianae et perfectae
Praestantia orationis liturgicae

DOMUS EDITORIALIS MARIETTI
Sanctae Sedis Apostolicae et S. Rituum Congregationis Typography

CONSPECTUS MATERIAE

pag-
Praefatio..... - IX
Introductio: Auctorum qui tempore elapso de theologia liturgica deliberate scripserunt recensio. XIII

PARS I.

DE VALORE LITURGIAE DOGMATICO
SEU DE RELATIONE LITURGIAM INTER ET FIDEM

Sectio I. - Principia generalia et fundamentalia.

Titulus I. De Liturgla quatenus exprimit fidem 3

Caput I. *Liturgia mm creat fidei doctrinam et dogmata, sed essentialiter seu ex natura sua praesupponit fidem eique innititur et necessario eam exprimit* - 4

§ 1. Liturgia non creat fidei doctrinam et dogmata, sed essentialiter eam supponit eique innititur..... 4
§ 2. Liturgia exponit fidem ecclesiae eius, quae eam imponit, ac proinde ex natura sua potest sicut veram, ita et falsam fidem exprimere 5
§ 3. Liturgia est ex natura sua praepotens evangelizationis instrumentum 6

Caput II. *Liturgia Ecclesiae docet et inculcat fidem Ecclesiae*..... 8

§ 1. Liturgia Ecclesiae exprimit fidem et doctrinam Ecclesiae. . . 8
§ 2. Liturgia Sacra docet et inculcat fidem et doctrinam Ecclesiae. 11
§ 3. Liturgia est via ordinaria qua Ecclesia capita principaliora fidei et doctrinae suae proponit..... 18
§ 4. Veritates fidei quae ex Ecclesiae professione magis explicite agnoscuntur, mox pari modo in Liturgia exprimuntur.....22
§ 5. Veritates quae ab haereticis impugnantur, disertius affirmari solent in formis et formulis liturgicis.....23

Pad-

§ 6. Praecellit Liturgia Ecclesiae Romanae propter auctoritatem Apostolicae Sedis qua editur, episcoporum sacerdotumque consensum et fidelium assensionem..... 27

Caput III. *Character et methodus instructionis liturgicae*..... 34

Caput IV. *Confirmatur auctoritas doctrinalis Liturgiae ah extrinseco.* . 46

§ 1. Ecclesia eximiam de Liturgia ordinanda et conservanda exhibet curam..... 46

§ 2. Quando apud aliquam societatem corrumpitur fides, error tendit ad invadendum in Liturgiam: nituntur haeretici vel impugnare textus et ritus Ecclesiae, vel eos corrumpere, vel mediante Liturgia propagare suas haereses: quos conatus Ecclesia condemnat. . . 57

§ 3. Thesis Liturgiam Romanam vel aliam ab Apostolica Sede exprimere veram fidem, multis argumentis probari potest: auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum. Patrum, Doctorum, Scriptorumque Ecclesiae..... 62

Titulus II. De Liturgia quatenus demonstrat fidem 70

Caput I. *Liturgia demonstrat fidem*..... 70

§ 1. Quaelibet societas religiosa de facto eam tenet fidem et doctrinam, quam clare exprimit Liturgia apud ipsam adhiberi solita. . 70

§ 2. Liturgia Sacra est locus theologicus praestans..... 72

§ 3. ; Lex supplicandi statuat legem credendi «..... *TI*

§ 4. Dogma quodeumque rigorose verum demonstrari potest ex eo, quod clare exprimatur in Liturgia Ecclesiae Romanae et in Liturgiis earum ecclesiarum, quae Romanae sunt unitae, immo etiam ex eo, quod in sola Liturgia Romanae Ecclesiae clare exprimatur 82

Caput II. *Summi Pontifices, Concilia, S. Patres, Doctores, alii ex Liturgia vel exponunt veritates revelatas, vel eas contra haereticos propugnant* - . 86

Caput III. *Conditiones pro argumentatione dogmatica ex Liturgia.* . . 114

§ 1. Demonstratio theologica ex textibus..... 114

§ 2. Demonstratio theologica ex symbolis..... 118

§ 3. Argumenta ex Rubricis et Decretis seu ex legibus cultus celebrationem ordinantibus..... 119

Caput IV. *Satisfit aliquibus obiectionibus prolatis contra valorem Liturgiae dogmaticum* - 123

Caput V. *Liturgia praecipuam praebet occasionem et materiam exponendae et praedicandae doctrinae catholicae* - - - - - - - - - - - - - - - - 132

Sectio II. Quaedam veritates praecipuae fidei et doctrinae Ecclesiae ex Liturgia proponuntor *(separatim in altero volumine proponentur).*

PARS II.

DE VALORE LITURGIAE MORALI, ASCETICO, PAEDAGOGICO DE LITURGIAE VITA ET SPIRITU

W.
Principia generalia et fundamentalia.... 139

Titulus I. Valor Liturgiae moralis et asceticus.... 141

Caput I. *Liturgia catholica est ex natura sua sanctificans et praepotens sanctificationis instrumentum*.... 141

Caput 11. *Inter varia systemata asceseos Christianae systema propositum a Liturgia emin't auctoritate, universalitate, securitate*.... 143

Titulus II. Liturgia est schola vitae Christianae et perfectae.... 148

Caput I. *Liturgia est schola vitae christianae et perfectae*.... 148

§ 1. Liturgia docet et inculcat praecepta et regulas vitae christianae et perfectae.... 148

§ 2. Liturgia proponit exemplar vitae christianae et perfectae ... 151

§ 3. Liturgia excitat mentes ad rerum altissimarum contemplationem 152

§ 4. Liturgia inducit ad practicam exercitationem virtutum tum theologicarum tum moralium et imponit exercitia ascetica practice verbo et usu.... 161

Caput II. *Liturgia copiose procurat gratiam necessariam*.... 168

Caput III. *Confirmatur valor Liturgiae moralis-asceticus ab extrinseco.* 171

Titulus III. Valor Liturgiae paedagogicus.... 173

Caput I. *Liturgia efforniat Christianum in spiritu vere Christiano.* . . . 173

Caput II. *Praestantia orationis liturgicae.* ' *Relatio orationis liturgicae ad orationem privatam*.... 205

EPILOGUS 220

Index auctorum.... 223

Index rerum.... 227

PRAEFATIO

Scientia de Sacra Liturgia apud multos Christianos praesertim e Clero, hodiedum minoris momenti aestimatur, ea praesertim ratione, quia eam habent ut mere casuisticam de observatione et obligatione Rubricarum, seu de modo, quo singuli ministri Ecclesiae in sacris junctionibus se gerant (1). *Alii unice historicam jormam alicuius ritus sacri aestimare videntur. Alii iterum putant verum cultum non consistere in actibus externis vel in usu materiae, sed solum in spiritu, et non in publica eius manifestatione, sed in abscondito cordis tantum: unde totum cultum Ecclesiae externum reiiciunt* (2).

Veram tamen Liturgiae naturam et conditionem Pius PP. XI in celebri sua Constitutione Apostolica « Divini cultus » de die 20 *Dec.* 1928, *innitens plurium antecessorum suorum dictis et declarationibus, his praeclaris verbis proposuit* (3):

« Divini cultus sanctitatem tuendi *cum* Ecclesia a Conditore Christo munus acceperit, eiusdem est *projecto, salva quidem Sacrificii et Sacramentorum substantia, ea praecipere* - caeremonias nempe, ritus, formulas, preces, cantum - *quibus* ministerium illud augustum et publicum *optime regatur,* cuius peculiare nomen est Liturgia, *quasi* actio sacra praecellenter. *Atque* res utique sacra est liturgia; per eam enim ad Deum evehimur, ipsique coniungimur, fidem nostram testamur nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo inter dogma et liturgiam sacram,

(1) Cfr. v. g. J. Raimond, In: La formation chrétienne de l'enfant, Janvier 1931 p. 8-9.

(2) Cfr. B. Capelle, Synthèse. Le visage de la liturgie. Le vrai visage. Le visage déformé — Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 14 (Louvain 1938) p. 133-153, praesertim 142-153.

(3) Acta Apostollcae Sedis 21 (1929) p. 33-35.

itemque inter cultum christianum et populi sanctificationem. Quapropter Caelestinus I fidei canonem expressum esse censebat in venerandis liturgiae formulis : ait enim : « legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur ».

Quae communes supplicationes primum opus Dei, *deinde* officium divinum *appellatae, quasi debitum cotidie Deo solvendum, noctu dieque olim jiebant, magna quidem Christianorum frequentia. Ac* mirum quantum iam inde ab ipsa antiquitate temporum ingenuae illae cantilenae, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populo pietatem contulerunt. *Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinabant, non panem* liturgici cantus eo valuere ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, *historia teste,* adducerentur. In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt: *quamobr&m— Mediolani 8. Ambrosius ab haereticis arguebatur se turbas* liturgicis cantibus *fascinare, quibus quidem* perculsus Augustinus consilium cepit Christi fidem amplectendi. In ecclesiis deinde, ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat, opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, litterarum ipsi studiosi, per liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet.

Ex his intelligitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint. Itemque patet cur Sancti Patres liturgiam sacram *{seu* supplicandi legem) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam.

' *Quod vero ad nostra haec tempora attinet,* Pius X, *abhinc annos XXV, in praescriptionibus illis* Motu proprio *promulgandis, quae ad cantum gregorianum et musicam sacram pertinent,* hoc in primis sibi proposuit ut scilicet christianum spiritum in populis excitaret et aleret, *ea sapienter removendo quae templi sanctitudinem maiestatemque dedecerent.* Etenim ob eam causam ad aedes sacras

fideles conveniunt ut pietatem inde, tamquam ex praecipuo fonte, hauriant, veneranda Ecclesiae mysteria ac publicas sollemnesque preces actuose participando... »

Ex quibus verbis elucet quaestionem *utrum publicus Ecclesiae cultus cum suis textibus, actibus, rebus, symbolis habeat nexum cum fide et doctrina Ecclesiae, annon, et qualem,* gravissimi esse momenti; *quae quaestio proinde ab optimis quibusque auctoribus iam deinde a primis Ecclesiae temporibus usque nunc continuo affirmatur atque exponitur.· Liturgia enim* ipsa *non est sicut ex tempoie Protestantium et Rationalistarum usque nunc multis indetur, sola casuistica et rigorosa observatio sacrorum rituum a libris liturgicis praescriptorum, vel historica et traditionalis aliquarum formarum et formularum celebratio earumque aesthetica gustatio, sed praecipue spiritus et cita* est, illud scilicet directum commercium Deum inter et homines, cuius externam formam, *inspirante et ducente Spiritu Sancto,* suprema in Ecclesia auctoritas, *conscia muneris sui, Deum recto modo glorificandi hominesque veritatem docendi eosque in viam salutis ducendi ac sanctificandi,* omnibus fidelibus tamquam normam proponit *suisque ministris obligatorie imponit;* vastum illud Credo, quod ipsa Ecclesia ore et corde ministrorum et fidelium suorum iugiter profert atque enuntiat.

Eline paginis sequentibus quaedam argumenta colliguntur, quae ostendant Liturgiam natura sua fidem et doctrinam Ecclesiae exprimere easque validis argumentis demonstrare, indeque obiectiones. quae contra vim dogmaticam Liturgiae afferri soient, facile reiici posse; porro auctoritatem doctrinalem Liturgiae praeter valorem intrinsecum multis etiam testimoniis ab extrinseco confirmari, tum ex haereticorum nisibus Liturgiam corrumpendi, tum ex eximia cura Ecclesiae Liturgiam semper tuentis, ordinantis, imponentis, defendentis et ex ea arguentis. Expositioni praeponitur brevis conspectus auctorum principalium de principiis theologiae lilurgieae agentium; in fine pauca quaedam adduntur de charactere instructionis in rebus fidei et de methodo, quibus ipsa Ecclesia in sua Liturgia utatur. Recensendo deinde praecipua quaedam capita fidei catholicae, ostendatur, quomodo ex solis actibus et textibus rebusque in celebratione Sacrae Liturgiae adhibitis eorumdem capitum veritas legitime concludatur et exponatur.

In altera parte exponitur relatio Liturgiae ad vitam Christianam et perfectam et plura inseruntur de Liturgiae vita et spiritu.

* * *

Licet tractatus hic de principiis theologiae liturgicae multis adhuc laboret dejectibus, tamen eum publici iuris facere audeo, tum ut plurum inserviam desiderio, votis ac instantiis, et praesertim, ut Alumnis Sacrae Theologiae cuncloque Clero et omnibus cultoribus Sacrae Liturgiae profundiorem rationem cultus divini indicem, tum ut alios ad similes eosque meliores labores profundioraque studia singularum quaestionum excitem, « ut in omnibus glorificetur Deus » devotius semper, dignius, veriusque, et ut Christus Jesus eiusque Ecclesia in opere principali, divino scilicet cultu, in dies magis et intelligantur et amentur.

Romae, in Aedibus Anselmianis,
in Vigilia Nativitatis a. D. MCMXLV.

D. Philippus Oppenheim
O. S. B.

INTRODUCTIO

Auctorum qui tempore elapso, de theologia liturgica deliberate scripserunt recensio.

Jam plures auctores de « theologia liturgica » agere studuerunt: veteres scilicet usque ad Concilium Tridentinum, de facto omnes fere theologiam Liturgiae tradiderunt, quin tamen ipsa voce sint usi; ex posterioribus hi sub tali nomine intellexerunt introductionem in accuratiorem et profundiorem cognitionem Eubricarum, quin tamen de earum sensu et significatione loquantur eumque profundius penetrent: quorum opera, quamvis interdum egregie de suo obiecto et per hoc de re ad S. Theologiam pertinente agant, non aestimantur digna tali denominatione; alii iterum singularum rerum et caeremoniarum sensum realern et mysticum quidem exposuerunt, principia vero generalia non detegerunt; alii denique praesertim in eo fuerunt, ut ostenderent Liturgiam esse locum praecipuum quem vocant theologicum, seu fontem, qui continet dogma et doctrinam Ecclesiae, et ex quo proinde inquisitores fidei tuto proferre possint valida argumenta fidei, vix vero vel non demonstraverunt, cur et quousque Liturgia contineat et exprimat fidem Ecclesiae eiusque regulam vitae moralis, neque ex historia seriem testimoniorum texuerunt, quae ostenderent Liturgiam in omnibus retro saeculis omnibusque regionibus tamquam regulam fidei esse consideratam. Plures vero alii viri, fide illuminati et igne Spiritus Sancti ardentes — praeierunt multi ex optimis quibusque Summis Pontificibus (1) — non cessabant iterum iterumque

(1) Inter *recentiores* v. g. Pins IX, in BuUa dogmatica de Immaculata Conceptione B. M. V a. 1851; Pius X, in variis Ercyclicis, v. g. ▮ Pascendi », « Acerbo nimis », praesertim in Motu proprio « Inter pastoralis officii · d. 22.XI.1903; Pros XI, Constitutio Apostolica « Divini cultus» d. 20.XII.1928; inter *vetustiores* v. g. S. StRicros Papa, S. Innocentius I, Leo IV, S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII, alii; de quibus aliisque cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico (Taurini-Romae 1939 sq) I. De legislatoribus llturgicis eorumque po-

admonere de praestantia et profundo valore theologico Sacrae Liturgiae.

Inter auctores antiquiores Martinus Gerbert, abbas-princeps S. BIasii, dedit quidem titulum (1), verumtamen eius opus potius inter meliora istius temporis manualia liturgica computandum est, cum de *theologia* liturgica proprie dicta non agat nisi superficialiter; affert tamen plures textus liturgico-theologicos ex S. Patribus vel ex Conciliorum decretis haustos eosque commentatur; in quo labore praecipuus huius operis valor consistit; optime forsitan pro suo tempore egit de Sanctorum, S. Imaginum ReJiquiarumque cultu quem validis argumentis defendit contra Protestantes.

In opere deinde eiusdem tituli, quod edidit *Gregorius Ktihler* (2), omnino desiderantur, quae in titulo promittuntur: auctor paululum tantum affert de *theologia* liturgica; reliqua omnia sunt, sicut in aliis manualibus liturgicis, tractatus de diversis rebus ad liturgiam pertinentibus.

Maioris momenti est dissertatio F. A. Zaccariae, *De usu librorum liturgicorum in rebus theologicis* (3), quae melius correspondet titulo, et quamvis non sit nisi parva dissertatio, tamen utiles instructiones de suo obiecto continet.

Jam plus uno saeculo antea *Franc. Carrière* (4), theologus hodie penitus fere a memoria doctorum deletus, modo profundiore relationem Liturgiam inter et dogma proposuerat. In tomo II operis sui *Commentarium ad professionem fidei Pii IV* (5), contra Protestantes defendit sacros Christianorum ritus, scilicet •signationem cum cruce, aquam benedictam eiusque usum, Rogationes, ieiunia, festa, hymnos, horas canonicas, caeremonias, Sacramenta et Sacramentalia, cultum Sanctorum et S. Imaginum, indulgentias. Quod opus raro quidem emi potest, sed dignum est quod studio et opere examinetur.

▮*J. B. Gener* (6), deinde non minus oblivione mersus, in opere suo

testato hiris liturgici dicundi p. 64-91; III. De libris liturgicis deque hire ex cis mananto (1940) p. 169-300 passim, praesertim ubi citatur textus documentorum Pontificum; Id., Notiones Liturgiae fundamentales (1941) p. 68-80.

(1) M. Gerbert, Principia theologiae liturgicae (S. Blasii 1759); est pars operis, cui titulus *Theologia generalis,* ad quam pertinent eiusdem auctoris *Principia theologiae cxegeticae, Principia theologiae mysticae, Principia theologiae canonicae,* etc.

(2) Greg. Kôitler, Principia theologiae liturgicae ex selectissimis auctoribus (Moguntiao 1788).

(3) Fr. Ant. Zaççaria, Bibliotheca Ritualis I (Romae 1776) LV-LXXXV1II.

(4) Fr. Carrière, Fidei catholicae digestum singula eius dogmata et ritus Ecclesiae iuxta SS. Patrum et conciliorum doctrinam exacte declarans (Lugduni 1657) 2 voll.

(5) Dtc IX, 789.

(6) J. - B. Gener, Theologia dogmatico-scholastica... sacrae antiquitatis monumentis illustrata,.6 voll. (Romae 1767).

de theologia dogmatico-scholastica exposuit primo quodlibet dogma secundum modum theologiae scholasticae, deinde vero illustrat omnem thesim argumentis « e re lapidaria, *e re liturgica,* e re nummaria, e re sigillari » etc. desumptis. Quod opus testatur patientem laborem auctoris omnibusque inservire potest rerum liturgicarum cupidis, praesertim vero illis theologis, quibus persuasum est ex Liturgia frequentiores demonstrationes fidei Christianae faciendas esse.

Inter principes porro computandus est Ludovicus Antonius Muratori, qui in dissertatione sua praevia ad opus de vetere Liturgia Romana (1) plura dogmata Ecclesiae praesertim S. Eucharistiam spectantia ex solis textibus et ritibus liturgicis deduxit.

Generatim dicendum est inter liturgistas saeculi XVII et XVIII plures fuisse theologos eosque melius intellexisse valorem Liturgiae in quaestionibus theologicis, quam theologos recentiores, sicut probent cum dissertationibus et adnotationibus suis Leo Allatus (2), fratres *Assemani* (3), Antonius Arnaud (4), Cardinalis Joannes Bona (5), Edmundus Martène (6), *J. Grancolas* (7), -7. *Trombelli* (8), *J.-B. Thiers* (9), *Th. J. Lamy* (10), *Joannes Mabillon* (11), *Eusebius Renaudot* (12), *G. Bossuet* (13), aliique quorum nomina suo loco citantur.

Inter recentiores illi, qui proprie vocantur theologi dogmatici, sicut Franzelin, Pesch, Van Noort, Lambrecht, Diekamp, ut aliqui nominentur, in tractatu de locis theologicis, ubi de valore theologico Liturgiae agere deberent, plerumque ne vix quidem quaestionem tangunt, vel ad summum paucis lineis eam absolvunt. Soli P. Perrone (1-1),

(1) L. A. Muratori, Liturgia Romana Vetus I (Venetiis 1748) p. 101-288.

(2) L. Allatus» De Ecclesiae occidentalis et orientalis perpetua consensione (Coloniae Agrippinae 1648).

(3) Praesertim J. A. Assemani» Codex liturgicus Ecclesiae universalis (Romae 1752) lib. IV. p. 1; 137.

(4) Ant. Arnauld, La perpétuité de la foi sur l'Eucharistic, 3 voll. (1669-74 et saepius).

(5) J. Bona, Rerum liturgicarum libri II (editio emendata a Rob. Sala» Taurini 1747) I, 123 es.

(6) E. MartÊNE, De antiquis Ecclesiae ritibus (Antverpiae 1758 et saepius).

(7 J. Grancolas, Les anciennes liturgies ou lu manière dont on a dit la sainte messe dans chaque siècle (Paris 1704).

(8) J. Trombelli, Tractatus de sacramentis per polemicas et liturgicas dissertationes, 12 voll. (Bononiae 1769).

(9) J. - B. Thiers, Traita de l'exposition du saint. Sacrement (Paris 1679).

(10) Th. J. Lamy, De Syrorum fide et disciplina in re eucharistica (Dissert. Lovanii 1859).

(11) J. Mabillon, Museum Italicum seu collectio veterum scriptorum ex bibliothecis itulicis eruta (Parisiis 1687-89);
Id., De Liturgia Gallicana (Parisiis 1729).

(12) E. Renaudot, Liturgiarum Orientalium Collectio I (Francoforte 1847) ed. 2 p. XLIX

(13) G. Bossuet, Instruction sur les états d'oraison, lib. VI => ed. Migne, Oeuvres complètes de Bossuet IV (1856).

(14) P. Perrone, Praelectiones theologicae, editio post secundam romanam diligenter emendata (Paris 1842) dicit (ed. Migne, II, 1238): « Maximi faciendam esse auctoritatem sa-

et melius Joachim Berthier (1), Liturgiae attribuisse conspiciuntur locum theologicum, qui ei convenit, quamvis brevissimis verbis.

Inter auctores recentiores vero, qui de Sacra Liturgia egerunt, plures inter quos *Lapini* (2), Maximilianus princeps Saxoniae (3), *E. Caronti* (4), *L. Duchesne* (5), A. Vigourel (6), F. Cabrol (7), A. Coelho (8), L. Eisenhofer (9), R. L. Barin (10), C. Callewaert (11), P. Veneroni (12), Ph.Oppenheim (13), alii, in suis manualibus de valore et significatione theologica vel omnium sacrorum rituum in genere vel aliquorum singulorum (14) interdum valde profunda et summi aestimanda praestiterunt, vix unus vero expresse de *Theologia Inturgica* eiusque principiis fundamentalibus egit (15).

Mediante saeculo XIX cum honore nominari potest D. M. Bouix, qui tractatui suo de iure liturgico (16) praemisit dissertationem de valore dogmatico Liturgiae ibique optime pro suo tempore exposuit certa quaedam principia, quibus innititur theologica S. Liturgiae con-

crae liturgiae eamque habendam uti omni exceptione maiorem traditionis et Ecclesiae fidei, is solum inficias iverit, qui non adverterit in illa Ecclesiarum omnium exhiberi vocem ac testimonium episcoporum, presbyterorum et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata »; et statlm ostendit plurima dogmata Christiana in liturgia pronuntiata esse.

(1) J. Berthier, Tractatus de locis theologicis (Torino 1900) p, 424-440.

(2) Lapini, Istituzioni liturglche (Firenze 1895) p. 219-309.

(3) Maximilianus, Princeps Saxoniae, Praelectiones de Liturgiis orientalibus (Friburgi 1908) p. 25-43.

(4) E. Caronti, Supériorité dogmatica della Liturgia = Rlvista Liturgica 1914 p. 88 ss.

(5) L. Duchesne, Los origines du culto chrétien (cd. 5, Paris 1925).

(8) A. Vigourel, La liturgie et la vie chrétienne (Paris 1909).

(7) F. Cabrol, La prière de l'Egllse antique (germ. Gg. Plbtl, Die Liturgie der Kirche, Kempten-München 1906); Id., Les origines liturgiques (Paris 1906); Id., art. « Céléstin » DACL, II, 2794-2802; art. « Liturgie · DTC IX, 787-845.

(8) A. Coelho, Corso di liturgia Romana I (ital. F. Maberini, Torino 1935), p. 202-213.

(9) L. Eisenhofer, Handbuch der katholischen Llturgik, 2 voll. (Freiburg i. B. 1932 sq.).

(10) R. L. Barin, Catochlsmo Liturgico, 3 voll. (ed. 3, Rovlgo 1928).

(11) C. Callewaert, Liturgioae Institutiones I. De S. Liturgia universim (ed. 3, Brugis 1933) p. 39-50; Id., L'étude et l'esprit de la liturgie — Collationes Brugenses 13 (1908); Id., Relatio in conventu liturgico Lovaniensi a. 1910 = Supplément de la Vie liturgique n. 10.

(12) P. Veneroni, Manuale di Liturgia I (Milano 1940) p. 69-76.

(13) Ph. Oppenheim, Institutiones systematico-historicae in S. Liturgiam, voll. I-IX (Taurini-Romae 1937-1943) passim, praesertim vol. VI. Notiones Liturgiae fundamentales (1941), Tractatus de Baptismo (1943).

(14) Cfr. v. g. haec opera praestantiora: R. Molitor, Vom Sakrament der Weihe. Erwilgungen nach dem Pontificale Romanum, 2 voll. Regensburg 1938; P. PaRSCH, Das Jahr des Heiles, 3 voll. (Klosterneuburg bei Wien 1932 ss.) in plures linguas versa; I. Schuster, Liber Sacramentorum. Note storlche e liturgiche sui Messale Romano, 10 voll. (ed. 3, Torino 1928 sq.) in plures linguas versa; B. Baur, Werdo Licht, 3 voll. (Freiburg i. B. 1938, ed. 4) in plures linguas versa; Ph. Oppenheim, Tractatus de baptismo, voll. I-III (Taurini-Rornae 1943), etc.

(15) In operibus vero Ant. Coelho, Cam. Callewaert, P. Veneroni, Ph. Oppenheim supra citatis per plures paginas iam de hac quaestione agitur.

(16) D. M. Bouix, Tractatus de iure liturgico (ed. 3, Parisiis 1873) p. 12-88.

sideratio; tredecim etiam dogmata proposuit ex ritibus et textibiis liturgicis.

Eodem fere tempore Prosper Guéranger, abbas Solesmensis, qui inter praecipuos auctores efflorescentium et renascentium studiorum Sacram Liturgiam spectantium enumeratur, ex textibus et ritibus sacris plura dogmata Ecclesiae corroboravit (1).

Ineunte saeculo XX P. Schoulza (2), modo originali quaestionem fundamentalem de valore theologico Sacrae Liturgiae solvere conatus est; eius tamen thesis omnino revisione et completione digna esset; similiter etiam dissertatio *Mauri Procaccianti,* qui quaedam principia fundamentalia noviter proposuit et modo generaliore quaestionis solutionem aggressus est (3).

His ultimis denique decenniis plures auctores, sive in opusculis propriis, sive praesertim per capita in periodicis, varias quaestiones de relatione Liturgiae ad fidem deque eius speculativa vel scientifico-historica et critica inquisitione, interdum optima methodo et effectu (4), plerumque vero pro una alterave quaestione speciali, aggressi sunt, quarum plures antea in scientificis vel popularibus conventibus, praesertim hebdomadarum quae dicuntur liturgicarum, proposuerant. Nova testimonia attulerunt veteraque critice inquisierunt, novosque interdum aspectus ostenderunt; nemo vero ex eis quaestionem radicitus et integre solvere voluit nec plene eam proposuit.

Ita *J. Berthier* (5) inquisivit, utrum et quinam locus Liturgiae, tribuendus esset inter locos communiter « theologicos » vocatos; *G. Tyrell* inquisitionem magis generalem instituit de relatione inter orationem et fidem (6); *L. Janssens* proposuit (7), quomodo Liturgia instrueret de dogmate catholico; eius vestigia optima inquisitione secuti sunt M. J. Weber (8) et *M. Cappuyns'(9).* G. Malherbe in aliquibus

(1) PR. Guéranger, Institutions liturgiques I-II (Paris 1840), et praesertim IV (ed. 2, Paris 1885) p. 243-583.

(2) P. Schoulza, Liturgia catholica catholicae fidei magistra (Theses Insulenses 14, Lille 1901).

(3) M. Procacciantì, Lex orandi - lex credendi (Dissertatio Anselmiana) 1933 MS. (Romae) ex qua plura capita edita sunt in « Bollettino Liturgico, Parma ». 1933 ss.

(4) V. g. M. Riohbttl Manuale di Storia Liturgica I (Milano-Genova 1945) p. 15-22.

(5) J. Berthier, op. oit.

(6) G. Tyrell, Lex orandi or prayer and creed (London 1904).

(7) L. Janssens, La liturgie et l'enseignement du dogme = Questions Liturgiques 2 (1911-12) 446.

(8) M. J. Weber, La liturgie est · la didascaUe de l'Eglise » (Pie XI) par son enseignement· dogmatique = Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 14 (Louvain 1938) p. 89-114; In., L'enseignement dogmatique de la liturgie: La Vie Bénédictine 47 (1939) 79-85.

(9) M. Cappuyns, Liturgie et Théologie = Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 14 (Louvain 1938) p. 175-209.

exemplis quasdam quaestiones fundamentales ostendit, quo modo scilicet Sacra Liturgia sit fons doctrinae catholicae et qualis sit eiusdem methodus instructionis (1); *A. Tanquerey,* e contra, demonstravit, quomodo dogma et doctrina Ecclesiae influant, in pietatem liturgicam (2); *('. Adam* basim dogmaticam Liturgiae detegit (3); plures alii auctores, sub diverso respectu, capita bonae eruditionis, criticae inquisitionis, vel syntheticae expositionis scripserunt de auctoritate Liturgiae in rebus fidei, inter quos W. De Vries (4), Ph. Oppenheim (5), J. Brinktrine (6), P. Renaudin (7), H. Hering (8); alii iterum vel de spiritu Liturgiae (9) vel de virtute religionis, quatenus est anima cultus (10) paginas magni valoris praestiterunt; alii denique, sicut *P. Ricci* (11), singulas fidei veritates ex textibus liturgicis illustraverunt (12). Longum esset omnes auctores, quorum numerus in dies crescit, enumerare, qui aliquo modo quaestionem nostram, paucis saltem verbis, vel tetigerunt vel etiam exposuerant (13): suis locis voces eorum, qui sunt principaliores inter eos, audientur.

(1) G. Malherbe, La liturgie comme source et comme méthode d'enseignement de la doctrine catholique = Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 2 (Louvain 1914) p. 295-323.

(2) Ad. Tanquerey, Les dogmes générateurs de la piété (Tournay 1927).

(3) K. Adam, Les bases dogmatiques de la liturgie Les Questions Liturgiques et Paroissiales 22 (1937) p. 3-18; 75-92; 147-158.

(4) \V. De Vries, Lex supplicandi - Lex credendi Ephemerides Liturgicae 47 (1933) 48-58.

(5) Ph. Oppenheim, Liturgie und Dogma = Théologie und Glaube 37 (1935) p. 559-568.

(6) J. Brinktrine, Die Liturgie als dogmatischc Erkenntnisquelle Ephemerides Liturgicae 43 (1929) 41-51; Id., Der dogmatischc Beweis aus der Liturgie I Scientia Sacra. Fcstgabe für Kard. K. J. Schulte (Düsseldorf 1935) p. 231-251.

(7) P. Renaudin, De auctoritate sacrae liturgiae in rebus fidei =» Divus Thomas Freiburg i. Schw. 13 (19.35) 40-51.

(8) H. Hering, De loco theologico Liturgiae apud S. Thomam = Pastor bonus 5 (1941) p. 456-464.

(9) R. Guardini, Vom Geist der Liturgie (13.-14. cd., Freiburg i. B. 1934) in plures linguas versum.

(10) V. LottiN. L'Ame du culte. La vertu de religion d'après S. Thomas d'Aquin (Louvain 1920).

(11) P. Ricci, La liturgia e il domina (Firenze 1932).

(12) Cfr. Ph. Oppenheim, Das Kônigtum Christi in der Liturgie (München 1931); Id. Christi persona et opus secundum textus Liturgiae Sacrae = Ephemerides Liturgicae 49 (1935) 367-383; 50 (1936) 224-242 CittA del Vaticano 1936; Id., Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p.81-419; Id., Maria nclla Liturgia cattolica (Roma 1914) C. Callewaert. Les fins et les fruits du Sacrifice = Les Questions Liturgiques et. Paroissiales 24 (1939) 20-35; Id., Beteekenis en vruchtbaarheid van het Kerkclijke Jaar - Liturgisch Parochicblad 14 (1932) 315-317; 331-338.

(13) Cfr. v. g. Catechismus iussu Concilii Tridentini editus, Appendix II; A. Meyenberg, Homilctische und katechetische Studien (cd. 6, Luzern 1908) p. 170-632; M. FestuGière L'espérience religieuse dans le catholicisme. La liturgie catholique, esquisse d'une synthèse suivie de quelques développements = Revue de philosophie 1912 sq; Id., La liturgie catholique. Essai de synthèse (Marcdsous 1913) p. 120 ss; E. Caronti, La liturgia = Rivinta Liturgica 1 (1914) 88 ss; Id., Pieté liturgica (Torino 1920); Id., Sacrificio cristiano (Torino

Praeter hos aliosque auctores amplam hic praebent materiam Conciliorum omnium saeculorum canones et decreta, epistolaeque canonicae et pastorales Episcoporum, documenta Summorum Pontificum et S. Congregationum, necnon scripta S. Patrum sparsim; libri vero liturgici ac auctores de divinis officiis vel de sacris ritibus agentes, praesertim antiquiores et recentissimi, saepius toti fere in eo -sunt, ut suo quisque modo valorem Liturgiae dogmaticum vel ascetico-moralem ostendant.

1922); L. Beaudvin. La piété de l'Eglise (Louvain 1914) r V. Michel. Liturgy the life of the Church (Collegeville 1926); L. Beauduin, in: Questions Liturgiques III p. 143 ss: IV p. 87 ss; I. Herwegen. Alte Quellen nouer Kraft (ed. 2, Düsseldorf 1922);Id.. Vom ohristlichen Sein und Leben (Berlin 1932); Col. Marmion. Le Christ dans ses mystères (Maredsous 1922) in plures linguas versum; Chrys. Panfoeder, in variis suis opusculis collectionis · Lituigia -, quam edidit Abtei St. Joseph, Coesfeld, scilicet praesertim in: Christus unscr Liturge (Mainz-Wiesbaden 1922); Dic Kirche als liturgische Gemeinschaft (ibd. 1924); Das Ucberpersonliche in der Liturgie (ibd. 1928) p. 163 ss; Das Organischc in der Liturgie (ibd. 1929) p. 129 ss; V. Michel, The Spirit of the Liturgy (Collegeville 1926): E. Caronti, ut supra; Questioni liturgiche: Lex supplicandi - Lex credendi La Senoia Cattolica 61 (1933) 403-405; R. Aiorain, Liturgia. Encyclopédie populaire des connaissances liturgiques (Paris 1931) p. 3-27; 59-68; 656-693; 955; A. Cùollet, Culte en général = DTC III, 2404-2427.

PARS I.

DE VALORE LITURGIAE DOGMATICO

seu

DE RELATIONE LITURGIAM INTER ET FIDEM

SECTIO I.

PRINCIPIA GENERALIA et FUNDAMENTALIA

TITULUS I.

De Liturgia quatenus exprimit fidem

Sub voce « *Liturgioe* » hic intelligitur publicus et officialis Ecclesiae cultus divinus, seu omnes illi sacri ritus, qui a libris liturgicis vel etiam immediate a competente auc,toritatê ecclesiastica ordinantur ac. clero et fidelibus imponuntur ad glorificandum Deum et ad sanctificandas personas vel res, quae proinde a ministris Ecclesiae nomine et auctoritate eiusdem Ecclesiae cum participatione fidelium peraguntur (1).

Fides duplici sensu intelligi potest, obiectiva et subiectiva.

Fides *obiectiva* est summa illarum veritatum, quae tamquam a Deo hominibus revelatae in Sacra Scriptura continentur atque a magisterio Ecclesiae et a Traditione ecclesiastica fidelibus ut credantur et publica professione agnoscantur proponuntur.

Fides *subiectiva* est hominis ad aliquam veritatem revelatam libera assensio propter auctoritatem Dei revelantis et propter auctoritatem Ecclesiae illam proponentis, manifestata sive sola interna mente, sive etiam externis actibus.

Utroque sensu Liturgia exprimit fidem.

(1) De notione Liturgiae cfr. Cam. Callewaert, Liturgicae Institutiones I. De sacra Liturgia universim (ed. 3, Brugis 1933) p. 1-50; Ph. Oppbxhbim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 1-308; praesertim p. 1-80.

Caput I.

Liturgia non creat fidei doctrinam et dogmata, sed essentialiter seu ex natura sua praesupponit fidem eique innititur et necessario eam exprimit.

§ 1. - *Liturgia non creat fidei doctrinam et dogmata, sed essentialiter eam supponit eique innititur.*

Secundum S. Thomarn « fides religionis causa et principium est ». Omnis manifestatio religionis, privata et publica, innititur fidei: praesupponit enim necessario aliquam cognitionem intellectualem Dei et hominis a Deo dependentiae sinceraeque erga Deum suisubmissionis.

Quilibet enim homo, dum Deum adit, per ipsum hoc factum, quod verbis et actibus Deum adorat, laudat, propitiat, aliquid ab eo petit, ei aliquid promittit, ei gratias agit, vel aliquid ei offert, ostendit se credere in hunc Deum eiusque existentiam et excellentiam, ac se agnoscere de facto relationes suas ontologicas ad hanc Divinitatem; ipsis verbis et actibus suis, quibus utitur, exprimit fidem suam seu id quod credit. Si enim in eiusdem Dei, quem colit, existentiam, excellentiam, iustitiam, misericordiam, aliasque eiusdem qualitates non crederet, praefatos actus non poneret: non peteret, nec gratias ageret. Immo, qui non credit Deum revera exsistere ipsumque esse supremum Dominatorem, Judicem, Remuneratorem, vel eum propitiari posse, eum non adit nec ullum actum sincerum religionis emittere potest; neque alios Superos, Angelos et Sanctos, sincero ac religioso actu colere valet, nisi credat eos in caelesti patria revera esse, vivere, ac hominibus, praesertim ipsis petentibus, adiutorjo esse posse.

Si ergo in omni loco et generatione, a primis hominibus usque nunc, semper et ubique, homines ad Superos oraverunt eisque sacrificaverunt, cum privatim tum publice, ut ita eos colerent, aliquid ab

eis obtinerent, hoe ideo fecerunt, ut fidem suam manifestarent. Omnis enim cultus est ex fide et propter fidem seu provenit ex fide eique innititur, et ideo fit, ut homo fidem suam manifestet vel comprobet.

§ 2. - *Liturgia exponit fidem ecclesiae eius, quae eam imponit, ac proinde ex natura sua potest sicut veram, ita etiam falsam fidem vel doctrinam exprimere* (1).

Liturgiam inter et religionem ergo intimus quidam viget nexus: Liturgia enim semper et necessario est ab'qua doctrinae creditae manifesta probatio et confessio. Quae proprietas ipsi ita intrinsece inhaeret, ut nulla, etiam falsarum religionum liturgia, ea spoliari possit. Unde dubium esse non potest, sicut veram doctrinam, ita etiam falsam et quoslibet errores circa religionem exprimi posse verbis, ritibus, signisque symbolicis; nec minus certum est huiusmodi verba, ritus et signa ab aliqua societate usurpari posse, sive lege sive consuetudine, pro cultu externo, ut ita exprimat fidem suam, seu id, quod a membris societatis credi et propagari cupiat. Et revera historia testante ita a paganis et ab haereticis saepius factum est.

Quae res insuper ex ipsa natura rei omnino perspicua est, cum unaquaeque societas in cultu suo publico id exprimere soleat, quod credit.

Notissimum est omnibu» in liturgia paganorum expressam fuisse v. g. pluralitatem deorum aliosque plures errores. Item facile monumentis probari potest praecipuos sectarum errores liturgicam induisse formam.

Adamitae, qui credebant se restitutos esse in statum innocentiae, protoparentibus ante praevaricationem proprio, in conventibus suis nuditatis ritus induxerunt (2); Aquarii, qui vinum esse illicitum putabant, Missam celebrabant sola aqua (3); qui non credebant Jesum Christum verum esse Deum Deique Filium, ad eum non dirigebant orationes nec in cultu suo eum Deum vocabant; qui beatissimam Virginem non credebant Dei Genitricem, titulum Matris Dei non adoperabant. Similiter multa alia exempla citari possent.

(1) Cfr. D. M. Bouix, Tractatus de iure liturgico (ed. 3, Parisiis 1873) Pars I c. VII § 1 nt. 2; — J. Bona, Rerum liturgicarum lib. I c. VII § 2; — Mauoère, Notions générales sur la Liturgie, c. 4 § 1.

(2) D. M. Bouix, Ibd. p. 17.

(3) P. Batiffol, Art. Aquariens = DACL I, 2648-2654.

§ 3. - *Liturgia est ex natura sua praepotens evangelizationis instrumentum.*

Munus evangelicum stat praecipue in eo, ut homines veritates fidei doceantur et ad sectanda salutis opera exitentur. In tradenda vero doctrina fidei atque caelestium mysteriorum intelligentia animis alte infundenda Liturgia est praepotens praeco atque magister.

Nullus scilicet tam *foecundus* populi Christiani doctor est: dum enim ceteri doctores aliqua religionis capita scribendo aut loquendo explanant, ipsa totam rei Christianae seriem, ditissima aeque ac vividissima magisterii forma, perpetuo auribus insonat atque oculis repraesentat.

Nullus doctor tam *universalis* est: ipsa enim ab aquilone ad meridiem, ab oriente ad occidentem populos omnes simul alloquitur atque informat, ubicumque illa Liturgia celebratur.

Nullus tam *frequens:* ipsa enim a mane fere ad vesperam a praedicatione non cessat, et solemnioribus anni diebus adaucta eloquii fluenta immittit.

Nullus tam *eloquens* atque *omnium captui accommodatus:* quam multa et quam intellectu facilia docet Baptismi ritibus et formulis! ». — Quot modis Trinitatem loquitur! ceteraque religionis quam vividis ritibus, verbis, et cantibus sancte ingeminat et rudibus aeque ac sapientibus infundit (1).

Nam « in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta: siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur·; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum solemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulchritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum et sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat » (2).

Et haec valent non tantum quoad propagationem veritatum in-

ii) D. M. BouiX, op. cit. p. 28.

(2) Pius XI, Litterae Encyelicae ▮ Quas primas » d. 11 decembris 1920 = AAS 17 (1925) p. C03.

tellectualium, sed non minus quoad eadem omnia, quae Ecclesia in cultu suo divino docet et celebrat, ut fideles ad opera salutifera excitet. Plurimae enim et vividae sunt adhortationes in sacris officiis, tum ex Sacra Scriptura, tum ex Patrum sententiis desumptae atque ipsismet ritibus symbolicisque caeremoniis ingeminatae hoc suadent. Ea est generatim Liturgiae vis, ut tum ex naturali aptitudine, tum ex perenniter ipsi alligato incitamento gratiae animas iugiter ad caelestia sollicitet vehementerque impellat (1).

Et certe praecipuas partes in convertendis et edocendis, barbaris praesertim populis, Liturgiam egisse, historiae monumentis facile ostendi potest.

Hinc mirum non est etiam haereticos paganosque Liturgia usos esse, ut errores suos propagarent.

Iam Paulus Samosatensis hymnos composuerat, quos in Liturgia usurpari iussit (2). Sicut Nestoriani, ita Lutherani, Calvinistae, Anglicani pluresque alii haeretici proprias sibi confecerunt Liturgiae formas, quibus suos errores propagarent.

(1) Cfr. quae infra dicentur de relatione Liturgiam inter et vitam Christianam et perfectam.

(2) Eusebius, Historia ecclesiastica 7, 30.

Caput IT.

Liturgia Ecclesiae docet et inculcat fidem Ecclesiae.

§ 1. - *Liturgia Ecclesiae exprimit fidem et doctrinam Ecclesiae.*

Supra ostensum est omnem cultum religionis provenire ex aliqua cognitione intellectuali Dei eiusque ad hominem relationis et ex hominis erga Deum submissione, aliis verbis, omnem cultum divinum supponere fldem eique inniti, omnemque societatem religiosam in cultu suo publico exprimere id, quod credit. Id potissimum valet de Ecclesia.

Sicut enim omnis cultus est propter fidem (1), ita potissimum cultus catholicus.

Est enim « fides religionis causa et principium » (2). Cultus importat *moralem agnitionem* excellentiae Dei et nostrae erga ipsum submissionis: necessario ergo praesupponit *cognitionem intellectualem* Dei nostrarumque ad ipsum relationum; quae cognitio in cultu catholico potissimum est per fidem. Cognitio illa non est quidem in singulis Liturgiae partibus necessario cognitio certa aut infallibiliter vera; nec societas religiosa utitur generatim formulis liturgicis formaliter ad definiendum ac imponendum, quid sit credendum, immo nec primario ad docendum — ad hoc exercet potestatem magisterii, definitionibus, encyclicis, aliisque documentis doctrinalibus; —sed ad Deum colendum. Verumtamen in modo quo Deum laudat vel orat, *exprimit* quid et qualiter ipsa credat et iuxta quos conceptus Deum publice coli velit.

Et quamvis non repugnet Ecclesiam aliquando *tolerare* in rebus minoris momenti aliquam locutionem, vel doctrinam, quam iudicat quidem minus rectam, licet non haereticam, tamen permittere nequit, ut suo nomine in Liturgia saepius repetantur, aut in ritibus praecipuis asserantur contraria iis, quae ipsa sentit aut credit. « Ecclesia quae

(1) Cfr. quae supra dicta sunt p. 1-7.
(2) S. Thomas, In Boôtium de Trinitate, qu. III, art. 2.

sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit » (1).

Liturgia innititur fidei. Quae fides catholica non provenit ex subconscientia vel ex quodam hominum religioso sensu seu animo, sed est ex revelatione divina et a magisterio Ecclesiae proponitur. Magisterium vero Ecclesiae, cuius est, ut veritatem fidei hominibus proponat eamque omni quo fieri potest modo integram custodiat atque conservet, in textibus et actibus, quibus fideles omnes eiusdem Ecclesiae fidem publice manifestare tenentur, non potest falsam doctrinam imponere, sed debet veritatem exhibere; alias Ecclesia deficit a munere sibi a Beo iniuncto.

Est ergo Ecclesiae magisterium, quae fidem praestat de genuina doctrina catholica in sacris ritibus verbo et opere exprimenda. Unde facile demonstrari potest Liturgiam non creare fidei doctrinam aut dogmata, sicut contendunt Modernistae, qui notionem fidei et dogmatis confundunt (2).

Sectatores agnosticismi et vitalis immanentismi contendunt humanam rationem praeter phaenomena nihil cognoscere posse. Sed cum humanae naturae insit « *divini* » *indigentia,* homo, religioso quodam nmtu cordis, tendit ultra phaenomena, in incognoscibilem divinam realitatem, quam e latebris subconscientiae educit in ambitum conscientiae: affectus ille religiosus sed caecus, quo Deus incognoscibilis attingitur, a modernisas vocatur *fides.* Sed dum ille sensus exercetur, producit in intellectu repraesentationem quamdam « Incognoscibilis », quae mutabitur pro ordinariis conceptibus uniuscuiusque credentia: et ita *homo* fidem exprimit et *sibi creat fidei formulam.* Quod si haec aliquando universim in Ecclesia admittatur, erit pro tempore *fidei dogma.* Cum vero affectus religiosus maxime exerceatur pietate et religione, oratio et cultus prae ceteris conducunt ad statuenda evolvendaque fidei dogmata: et ita lex orandi erit lex credendi, seu, ut intelligunt, *producet* legem credendi (3). Quod falsum esse ex praefatis eruitur (4).

Hinc iure ac merito deducitur Ecclesiam, visibilem societatem fidelium cum visibili capite, Romano scilicet Pontifice, exprimere fidem et doctrinam suam in illis ritibus et textibus, quos magisterium Ecclesiae et praesertim suprema in Ecclesia auctoritas universo clero, populoque fideli praescribit in libris, ab ea authentice et ex officio editis, ad celebrandum quotidie publicum et officialem eiusdem Ecclesiae cultum divinum.

(1) Augustinus, Epist. 55 ad inquisitionem Januarii, n. 35.
(2) Cfr. C. Callewaert, Liturgicae Institutiones I (ed. 3, Brugis 1933) p. 42.
(3) V. g. G. Tyrrell, Lex orandi or prayer and creed (London 1904).
(4) Modernismum confutatum vide apud: J. VaN Der Meersch, De modernismo, in: Collationes Brugenses XIII p. 111. 195. 275.

Quae ergo in his libris dicuntur et praescribuntur, exprimunt fidem et doctrinam ecclesiae ea imponentis: quodsi est Ecclesia *universalis,* eorum auctoritas coincidit cum auctoritate Ecclesiae universalis; si qua est ecclesia *particularis,* auctoritas et fides vel doctrina est eiusdem ecclesiae particularis; similiter si est episcopus, qui imponit tales libros, librorum auctoritas est auctoritas episcopi; si est Papa, auctoritas librorum coincidit cum auctoritate Papae.

Praefati enim libri eduntur nomine et auctoritate Antistitis ipsam ecclesiam regentis; verumtamen Antistes ille non solum quae sua sunt tradit, sed ab initio in ecclesiis *semper usus erat, ut unus alteri sacros ritus et textus traderet,* integros conservandos, et quamvis successor interdum novos ritus vel textus induxerit, ea tamen addita erat condicio, ut semper traditioni, quam a prioribus hereditaverat, inhaereret.

Praeterea ipsi sacri ritus quoad consuetas formas et formulas etiam a fidelibus sciuntur et ab una generatione ad alteram traduntur, ac proinde innovationes facile ab eis animadvertuntur et reiiciuntm·.

Hinc libri liturgici primarie exprimunt quidem fidem edentis Antistitis eiusque antecessorum, quorum ritibus et doctrinis adhaeret, secundarie vero etiam consensum fidelium, qui ex usu traditional! fidem et doctrinam in illis libris contentam ipsisque singulis annis expositam in sucum et sanguinem sibi imbiberunt, et sat difficile ad eam derelinquendam inducuntur; quo modo et qua ratione libri Ecclesiae liturgici omnesque eius textus ei ritus sacri particularem valorem dogmaticum accipiunt; quodsi vero hi libri expressis verbis a Romana Ecclesia eiusque suprema auctoritate ex officio impositi, vel' etiam approbati, commendati vel admissi tantum sunt, eorum auctoritas maior est propter auctoritatem approbantis Ecclesiae Romanae eiusque capitis, quod est Romanus Pontifex.

Liturgiam Ecclesiae exprimere eiusdem Ecclesiae fidem et doctrinam, alia praeterea ratione demonstratur: Ecclesia enim a Christo Domino constituta est, ut custodiat hominibusque proponat atque exponat depositum fidei, ut eos doceat veritate et viam salutis, qua secure et feliciter ad aeternam patriam pervemre possunt, ut ipsis det normam, sicut recte vivendi, ita etiam recte orandi Deumque modo conveniente colendi ; propter missionem suam sacerdotalem, qua continuat hominibusque practice applicat opus Christi redemptorium, Ecclesia instituta est quoque, ut homines vere a peccatis liberet et vere sanctificet, iis praesertim mediis, quae a divino Redemptore accepit vel Spiritus Sancti inspiratione et âdiutorio concepit atque practice instituit. Ecclesiae ergo est, ut hominibus praestet media necessaria ad assequendum finem ipsis ultimum; Ecclesiae porro affidata

est sicut celebratio sacrificii eucharistici et administratio Sacramentorum, ita etiam instructio de his rebus; ipsa etiam habet facultatem adnectendi usui rerum et benedictioni personarum gratias speciales: id quod ad notitiam fidelium pervenire debet cum in theoretica instructione tum in piactico exercitio (1). Liturgia, ut publicus Ecclesiae cultus, est praeprimis ipsa atvero celebratio Sacrificii eucharistici, ipsa administratio Sacramentorum et Sacramentalium, ipsa persolutio laudis divinae et publicae et officialis orationis, celebratio mysteriorum Dei et Sanctorum in festis anni liturgici, sepultura fidelium, et alia huiusmodi: quae omnia peragenda sunt nomine et persona ipsius Ecclesiae. Ipsa enim accurate eorum praescribit ritum, locum et tempus sibique ordinat ministros, qui hos sacros ritus religiose peragant secundum modum stabilitum. Ideo Ecclesia non tantum in catechesi et praedicatione, sed etiam in ipsis verbis et caeremoniis, quibus in celebratione divini sui cultus utitur, clerum et fideles ex officio instruere debet, cur adhibeat tales ritus et quid cum eorum usu intendat, aliis verbis, quid de Missa, de Sacramentis, de Sacramentalibus, eorumque omnium usu et effectu ipsa credat quidque a fidelibus credi velit, aliis verbis, textus et caeremoniae liturgicae exprimere debem fidem et doctrinam ipsius Ecclesiae.

Accedit alia ratio: ab initio certae quaedam formae et formulae fidei Christianis inserviebant, ut acceptum patrimonium fidei contra emergentes haereses, doctrinae Christianae aperte oppositas et contrarias, defenderent ac integre conservarent. Quae formulae, tamquam genuina expressio fidei ecclesiasticae, mox in cultu divino locum suum obtinuerunt, ibidemque sub influxu historiae dogmatis paulatim quidem magis evolutae sunt, verumtamen semper secundum indolem Ecclesiae, quoad fundamentalia et essentialia retentae sunt et ita suum valorem dogmaticum retinuerunt ; ad quod genus pertinent doxologiae, symbola fidei, conclusiones Orationum, interrogationes et responsiones de fide, aliaque similia.

§ 2. - *Liturgia Sacra docet et inculcat fidem et doctrinam Ecclesiae.*

« Ritus sacri », ait Syxtus V, « magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem continent» (2).

«) Liturgia ex utroque fonte, unde Ecclesia haurit suam doctrinam, ex Sacra Scriptura scilicet et ex Traditione, multa et insigniora

(1) Cfr. Pu. Oppbnbbim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurlni-Romao 1911) p. 162-164.

(2) Syxtus V, Constitutio Apostolica ▮immensa › (1588).

loca sacerdotibus et populo legenda proponit et meditanda. Et quidem ita «nos utriusque Testamenti paginis instruit » (1), ut ex collatione eluceat concordia Veteris Testamenti cum Novo — pulcherrime sibi correspondent v. g. Epistola et Evangelium in festo « Epiphaniae, Ascensionis, saepius in Quadragesima (2) —, doctrinae apostolicae cum evangelica, necnon Sacrae Scripturae cum Traditione.

Antiquo aevo Christiano omnes libri Sacrae Scripturae in cultu liturgie» legebantur iique integri; nostro aevo decursu anni liturgici saltem eorum initia leguntur, et e diversis sacris libris saltem partes principaliores, quas Ecclesia sic in lectionibus Missae et Officii in unum composuit, prout instructioni Fidelium utile indicabat. Modus autem, quem Ecclesia adbibet in eligendis et proponendis partibus Sacrae Scripturae, habet valorem expositionis doctrinalis (3).

Sensus litteralis, mysticus vel accomrnodatitius textus inspirati saepe *explicatur:* tum in scriptis S. Patrum, in homiliis nempe de Evangelic ac Lectionibus secundi Nocturni in dominicis de tempore; tum etiam in multis Antiphonis ac Responsoriis, quae solent exprimere cogitationes et allectus qui ex Psalmis sacrisque lectionibus hauriendi sunt; necnon in quamplurimis festis, in quibus Liturgia verba vel facta Sacrae Scripturae applicat mysteriis vitae Christi Domini eiusque matris Mariae cum fidelitate quae est fructus reverentiae erga verbum inspiratum et cum libertate quae fructus est charitatis.

Ita in Absumptione B. M. V. Evangelium de Maria et Martha quae erant sorores Lazari resuscitati, applicatur B. Virgini; in Immaculata Conceptione et saepius verba Sapientiae. Multa huius rei offerunt Officium et Missa in festo Epiphaniae et Dedicationis Ecclesiae, et alia (4).

Diversissima haec Liturgia *ad unitatem* mirabilem *adducit,* omnia, tamquam ad centrum, ordinat ad personam Verbi Incarnati, ut luculenter appareat « omnia et in omnibus Christus » et « Jesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula », « nos autem Christi, Christus autem Dei » (5).

(1) Oratio post Prophetiam VII in Sabbato Sancto. Cfr. orationes post Prophetias in vigilia Pentecostes. — Compara inter se Epistolas et Evangelia in Parasceve, in festis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Immaculatae Conceptionis et Nativitatis B. M. V.; in feriis II, IV, VI et sabbato post Dominicam Itl Quadragesimae; feria II post Dom. I Quadragesimae; feria V et VI post Dom. IV Quadragesimae; etc. S. Leo Magnus, Sermo de Transfiguratione (Brcviar. Monast. G Aug. Loct. VII), de Elia et Moyse loquentibus cum Jesu transfigurato, ait: " Adstipulantur sibi invicem utriusque foederis paginae, et quem sub velamine mysteriorum praecedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum praesentis gloriae splendor ostendit ».

(2) Cfr. de hac re: Ph. Oγρεvηεχμ, Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) p. 63-80.

(3) Vide v. g. OUloium Dedicationis Ecclesiae; soleinnem benedictionem fontis baptismatis etc.

(4) Vide v. g. soleinnem benedictionem fontis baptismalls, etc.

15) Coi 3, 11: Uebr 13, 8; l Cor 3, 23.

b) Capita doctrinae catholicae tam dogmatica quam moralia fere omnia dilucide exprimuntur, pro gradu certitudinis quo gaudent, et hoc statim patet attente oranti. Ecclesia quotannis recolit et repraesentat in Liturgia festorum anni sacri mysteria vitae mortalis Christi: Christus exspectatur in Adventu, celebratur in Nativitate, in Epiphania, in vita sua abscondita; in unoquoque anno porro recoluntur eius ieiunium totaque eius vita et praedicatio publica, passio et mors, resurrectio et ascensio, missio Spiritus Sancti, Christi imperium et dignitas regalis, eius amor et misericordia, eius parusia, eiusque vita continuata in Ecclesia. Totus annus Ecclesiae considerari potest tamquam exuberans commentarius ad symbolum apostolicum. Ceterum sufficiat inspicere textus liturgicos, quos iam alibi ex permultis paucos citavimus (1), v. g. de conceptu et cultu Dei, de mysteriis SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, de persona et opera Christi et Spiritus Sancti, de Mariologia liturgica, de cultu et communione Sanctorum, in specie de ideis in Officiis Sanctormn contentis, de relatione coelestium ad cultum Ecclesiae terrestrem, de Ecclesiologia liturgica, de necessitate gratiae, de finibus Liturgiae, de Missa et de Sacramentis, de sacerdotio, de fidelium in cultu participatione, etc. quae omnia sunt eloquens testimonium fidei et doctrinae Ecclesiae in Liturgia expressae.

Vitae et virtutes Sanctorum, quae et ipsae pertinent ad capita principaliora doctrinae Ecclesiae, immo etiam quamplurima *facta ex historia populi iudaici et Ecclesiae* similiter quotannis in memoriam revocantur in variis Psalmis, in Hymnis, in Orationibus, in Antiphonis et Responsoriis, praesertim in Lectionibus ad Matutinum.

Quae in hae doctrina Ecclesiae gravioris momenti esse existimantur, celebrantur non tantum semel in anno, puta uno festivo die, sed etiam per longius tempus et solemnius: praeparantur per vigiliam, vel etiam per longius tempus, sicut Adventu ante festum Nativitatis Domini, Quadragesima ante Pascha, et protrahuntur post ipsum festum celebratum per octavam, vel etiam per aliquod tempus festivum, sicut fit praesertim tempore post Nativitatem Domini et tempore paschali, ita tamen, ut ideae principaliores festi quotidie per hoc tempus repetantur, in casu citato ergo dogma Incarnationis et dogma Resurrectionis; immo cupita praecipua doctrinae eccle.dasticae saepius, vel etiam quotidie celebrantur, sicut mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis nostrae, mediationis universalis Christi, hypcrduliae B. M. V., communionis Sanctorum, et alia.

(1) Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1911) passim, praesertim in capitibus de notione Liturgiae, de termino cultus, de ministro cultus, de finibus Liturgiae, de conceptu et cultu Dei, B. Mariae Virginis, Sanctorum, Angelorum, do usu S. Scripturae in cultu, et aliis. Id., Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) passim.

Alia festa celebrantur cum vigilia et octava saltem, vel saepius in anno, cum variis solemuitatibus: sicut festa S. Crucis cum solcmni veneratione s. Crucis, festa B. .Mariae Virginis; alia festa semel tantum in anno celebrantur, uno die, sicut plurima festa Sanctorum: ita ut ex maiore solemnitate et diutiore festivitate etiam ad maius vel minus grave momentum huius vel illius veritatis concludi possit.

Liturgiam esse fidei expressionem etiam evidentius evadit, si variae considerantur partes intégrales, quibus Liturgia constat: res scilicet quibus utitur, actiones quae in cultu divino peraguntur, verba quae pronuntiantur. Ecclesia enim inst ruit de fide non tantum verbis, sed singulis quoque ritibus et praeceptis ritualibus, rebus et symbolis.

Res, quae adhibentur, omnes habent sensum vel significationem religiosam:

Imago Crucifixi, quae omnium venerationi proponitur, supponit et exprimit fidem in mysterium redempti per Christi mortem generis humani; S. Hostia super thronum altari, exposita, sicut etiam lampas continuo ardens coram altare Sanctissimi Sacramenti, supponunt et exprimunt fidem in realem sub sacris speciebus praesentiam Christi; cereus paschalis, qui Sabbato Sancto accenditur, symbolum est Christi, gloriose de sepulcro resurgentis, qui ut verum lumen animarum colitur et invocatur. Caeterae quoque res in cuitu divino adhiberi solitae, lumina, vestes, thymiamata, altaria, Sanctorum reliquiae et imagines, ignis, sal, aqua benedicta, oleum, palma, aliaque huiusmodi, omnes docent aliquid religiosum, nullamque rem reperies, quae propterea vel ex naturali aptitudine, vel ex fine ab Ecclesia intento non sit aliqua saltem dogmatis et doctrinae religiosae manifesta scriptura (1).

Idem dicendum est *de actionibus et caeremoniis,* quae propter necessariam legem externe agendi praescribuntur: nulla est in cultu liturgico caeremonia, quae non includat aliquam ideam religiosam: Ita V. g. sui signatio cum signo cnicis est actus fidei in SS. Trinitatem, in Filii divinitatem, in redemptionis veritatem; genuflexio, signa crucis, insufflationes, exorcismi, pacis oscula, manuum impositio, lustrationes, exsequiae, dedicatio ecclesiae, professio religiosa, et alia huiusmodi quam plurima aliquam exprimunt veritatem fidei (2). Hoc ipso quod ad peragendum cultum divinum pertinent, aliquid religiosi indicant, ac proinde dogma ipsum et fidem societatis, quae illis utitur, exprimunt. Kara « non modo interioribus actibus ipsa religionis virtus perficitur, sed etiam exterioribus » (3). Idque tantopere verum est, ut,

(1) Cfr. v. g. Ph. OppBnhhisi, Notiones Litm-giae fundamentales, p. 425-467.

(2) Cfr. Ph. Oppkxhfdi, Ibd. 428, 433-436; Id., Introductio iu scientiam liturgicam (Taurini-Romae 1940) p. 50-67; 87-91; R. Guakdini, Von heiligen Zeichen (Düsseldorf 1922).

(3) S. Thomas, S. Th. II-II, 81, 7.

si quaedam societas religiosa a tide catholica deficit, ipsa etiam has externas eiusdem lidei expressiones aboleat, vel mutet, cuius rei infra plura exempla exponentur.

Interdum caeremoniae, ritus vel gestus praesertim fidelibus simplicioribus ipsas veritates religiosas magis exprimunt protundiusque eorum corda et mentes afficiunt, quam instructiones theoreticae etiam optimae; id quod patet v. g. ex caeremoniis baptismalibus (1), ex cinerum benedictione et impositione *in capite ieiunii,* ex luminum vel palmarum benedictione et processione, ex dedicatione ecclesiae, vel altaris, etc.

Ita rudis quidam osculando crucem melius exprimit fidem fiduciamque suam in Salvatorem quam theologice exponendo dogma de redemptione; vel simpliciter genuflectendo coram Sanctissimo facilius exprimit fidem suam in S. Eucharistiam et in Christi sub diversis speciebus praesentiam, quam verbis illa exponendo. In traditione vestis albi post Baptismum videt symbolice indicatam innocentiam in Baptismo acceptam, in processione eucharistica triumphum Divini Redemptoris, etc.

Similiter Ecclesia instruit de fide praeceptis suis liturgicis.

Si v. g. post unamquamque in Missa consecrationem, panis scilicet et vini, a Rubricis praescribitur, ut Sacerdos « genuflexus adoret » Hostiam, et «iterum genuflexus adoret», claie exprimitur Jesum Christum Dei Filium nunc realiter esse praesentem et quidem iam post primam consecrationem, similiter praeceptum liturgicum docet et inculcat Deum esse adorandum, quoties v. g. in Invitatorio ad Matutinum invitat cum genuflexione ad adorandum ad verba: « Venite, adoremus, et procidamus ante Deum », vel in Epistola aliquarum Missarum ad verba: ut in nomine Jesu omne genu flectatur » (Phil. 2, 10), et in Evangeliis ad verba: « et procidentes adoraverunt eum » (2). Quodsi in aliquo altari, super quod fidelium venerationi expositae sunt Sanctorum Reliquiae, exponitur Sanctissimum Sacramentum, Reliquiae velari debent, ut omnis honor Domino tribuatur.

De verbis liturgicis res per se patet: Ex illis enim alia sunt ipsaemet dogmatis formulae, quibus expressis terminis varia fidei capita enuntiantur.

Ad erudiendos christifideles et ad tradendam eis certam firmamque regulam fidei, primaeva Ecclesia voluit praecipua dogmata infixa esse in orationibus liturgicis, quae symbola fidei nuncupantur. Sic origiiiatur *symbolum* quod dicitur *Apostolorum* ex ritu administrationis Baptismi: ibi catechumenus

(1) Cfr. Pu. Oppenheim, Commentationes ad ritum baptismalem I (Taurini-Romae 1943).

(2) Cfr. respectivam Rubricam in Nativitate Domini, Missa III; Evangelium Epiphaniae; Evangelium feriae IV post Dominicam IV Quadragesimae.

tenebatur, ut ante susceptionem Sacramenti fidem confiteretur. Unde ei formula continens capita principaliora fidei tradenda erat, et haec erat symbolum Apostolorum.

Item usurpari coepit *symbolum Hpiphanii,* quod in Oriente baptizandis praecipiebatur adversus haereses illius epocae (saec. III).

Notissimum deinde est *symbolum Nicaeno ' Oonstantinopolitanum,* quod apud Orientales immediate post Concilium Chalcedonen^e (451), et apud Occidentales eodem fere tempore in usum liturgicum transiit ad arcendos errores circa personam Christi.

Sicut symbolum Apostolorum ante Baptismum, ita *professio Pii IV* ad ordinationem presbyterorum et episcoporum exigitur, *professio fidei Tridenlina* et iuramentum antimodernisticum ante ordinationem subdiaconi.

Alia verba sunt deprecative, sicut in Orationibus ad Deum, ad Christum, ad Spiritum Sanctum, ad Deiparam Virginem, aliosve caeli incolas directis: et hae exprimunt fidem sicut in existentiam earum personarum, ad quas oratio dirigitur, ita etiam in istarum, quae invocantur, quarum gratiae celebrantur, quae propitiae redduntur, auxilium; insimul exprimitur fides de utilitate vel necessitate postulationis et spes illarum rermn obtinendarum, quae postulantur. Alia verba iterum gratiarum actionem pro acceptis beneficiis vel exsultationem, vel Christi aut sanctorum encomia referunt; quae omnia singulis phrasibus fidem et religionis doctrinam exprimunt. Alia verba iterum ex ipsis sacris libris depromuntur: quorum usus exprimit ea vera credi et sancta, quae ita e sacris paginis ad cultum externum adhibentur.

Quodsi aliae formulae liturgicae examinantur, praeter modo nominatas, prout inveniuntur in variis libris liturgicis, plane fatendum est omnes illas continere elementa didactica. Compositae enim sunt sive ex verbis Sacrae Scripturae, quamvis interdum aliquantulum mutatae, vel ex Traditione, SS. Patrum scilicet aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum et Summorum Pontificium, ab exordiis usque ad Pontificatum Pii PP. XII feliciter regnantis.

In genere dicendum est Orationes, Praefationes, acclamationes, Doxologias, Exorcismos, admonitiones, Lectiones, cantus, Litanias, Hymnos, Antiphonas, aliaque verba, quibus ad varios fines utitur Ecclesia in sua Liturgia, repraesentare unam ex uberrimis bibliothecis theologicis. In illis inveniuntur numerosissima et valida argumenta ad firmandum vel demonstrandum dogma catholicum, ad illustrandam praxim et disciplinam Ecclesiae in singulis saeculis vigentem, ad indicandam methodum asceticam et mysticam (1).

(1) Cir. Ph. Oppenheim, Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1915).

Quodsi porro *ordinationem anni liturgici* consideras eiusque de-, cursum ab Adventu usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, profecti singuli articuli Symboli Apostolici ibidem exponuntur, in singula festa distributi, et incessanter ac efficaciter in mentes et piam devotionem fidelium revocantur, sive agatur de celebrando aliquo mysterio Domini sive de aliquo ex «Communione Sanctorum»; ita ibidem vertitur in orationem fides in Deum unum trinumque, in Christum Jesum Dominum nostrum, eiusque opus redemprorium, in Sanctos et Angelos, in animas in purgatorio detentas, in Ecclesiam eiusque hierarchical!! ordina- l ionem et potestatem, in gratiam et ultimum post mortem indicium.', etc.

Ex quibus omnibus apparet Liturgiam exprimere summatim notiones fere universae theologiae, traditionis, historiaeque Ecclesiae. Unde patet eius plenam intelligentiam esse admodum utilem non solum ad cognitionem veritatis catholicae, sed ad imbuendum plenum sensum ecclesiasticum (1). Per Sacram Liturgiam enim fidem nostram testamur » (2). Unde etiam Sixtus V in celebri Bulla « Immensa » (1588) sanctificandi et evangelizandi Liturgiae vim his praeclaris verbis exprimebat: «Cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur in nacramentorum administration», divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eas igne inflamment... » (3).

c) Veritates autem proponuntur in Liturgia non ut obiectum scientiae, sed fidei divinae aut ecclesiasticae aut assensus religiosi; nec tantum ut fideles eas cognoscant, sed etiam ut externe eas profiteantur (4), et ut « fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant et devotionis eas igne inflammant » (5).

« Ac mirum », ait Pius PP. XI in iam citata Constitutione Apostolica «Divini cultus » (6), «quantum iam inde ab ipsa antiquitate

(1) Cfr. C. Callewaert, in: Supplément do la Vie liturgique η. 10 (=ex conventu liturgico Lovanlenei a. 1910), praesertim do iis, quae continentur in Orationibus Missarum. Quam pulchro v. g. et quam vivido exprimitur Dei misericordia his verbis, desumptis cx collectis dominicarum X et XI post Pentecosten: « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximo et miserando manifestas », · qui abundantia pietatis tuae et merita supplionm excedis et vota »l Cfr. R. Guardini, Von Geist der Liturgie (Freiburg. B. 1921) p. G ss; Pu. Oppenheim, Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) p. 229 ss.

(2) Pius XI, Const. Apost. · Divini cultus » d. 20.12.1925 = AAS 21 (1929) p. 33.

(3) Bullarium Romanum, ed. Cocquelines, tom. IV., pars 4 p. 395.

(4) Quod ex professo intenditur in symbolis fidei et interrogatione Baptismo praevia; cfr. Collationes Brugenses XVII, p. 715.

(5) Sixtus V, Bulla «Immensa».

(6) AAS 21 (1929) p. 34.

.temporum ingenuae illae cantilenae, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populo pietatem contulerunt. Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinebant, non parum liturgici cantus eo valuere, ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, historia teste, adducerentur. In templis, catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt ». « In ecclesiis, ubi ex tota fere civitate, chorus ingens fiebat », ita affirmat idem Pontifex, « opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, litterarum ipsi studiosi, per Liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet ».

« Ex his intelligitur, cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in Liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita Liturgiae Sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint. Itemque patet, cur Sancti Patres Liturgiam sacram (seu *supplicandi legem)* verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam ».

§ 3. .- *Liturgia est via ordinaria, qua Ecclesia· capita principaliora fidei et doctrinae suae exprimit.*

Liturgia est ex natura sua praepotens evangelizationis instrumentum (1). Ipsa est, ut ait Pius XI ad Abbatem B. ('apelle die 12-XII-1935, «instrumentum principale magisterii ordinarii Ecclesiae » (2). « Liturgia non est didasealia huius vel illius, sed didascalia Ecclesiae » (3).

Est ergo ipsa Ecclesia, eius magisterium ordinarium, quae mediante Liturgia proponit et imponit fidem et doctrinam suam. Ipsa enim approbat et imponit libros liturgieos, qui continent eius doctrinam finibus et indoli cultus adaptatam. Ipsa etiam est, quae instituit festa eorumque significationem et ideas doctrinales in formularibus Officii et Missae determinal atque pioponit. Multae sunt viae, quibus in cultu liturgico suam doctrinam proponit.

(1) Cfr. supra p. C s.

(2) B. Capelle, La Saint Siège et le mouvement liturgique *= Les Questions Liturgiques et Paroissiales 21 (11)36) 131; « La liturgie est le plus important organe du magistère ordinaire de I'Eglise ›.

(3) Ibd.: › La liturgie, ce n'est pas la didascalie du tel ou tel, mais la didascalie de ΓEglise ·.

PiusPP. IX in bulla dogmatica « Ineffabilis Deus» (1854) quoad propagationem liturgioam doctrinae de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis, inter alia haec enumerat (1): «Originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate praee.elsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ao firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinibus acceptam, et caelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere numquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum em is studiisquo per catholicum orbem mirifice propagatam, ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit... cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. »

« Ipsissima verba », ita pergit Pontifex, « quibus divinae Scripturae de m-creata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesenta t, consuevit (Ecclesia), tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta ». « Quamvis autem liaec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra, fuerit prosecuta, tamen illustria huius Ecclesiae facta digna plano sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit eiusdem Ecclesiae dignitas atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet ».

« Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis immaculatam Virginis Conceptionem, eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere, et vindicare ».

« Enim vero praedecessores nostri vehementer gloriati sunt, apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio Officio, propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab hereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare, sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque, ut Deiparam sub titulo immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus. rcligiosisque familiis ad immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint ».

« Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero quo festum Nativitatis, idemque conceptionis festum cum octava ah universa Ecclesia celebrandum, et ab

(1) Cir. Lectiones ad Matutinum infra octavam Immaculatae Conceptionis.

omnibus, inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam capellam ia patriarchal! no»tra Liberiana basilica die Virginis Conceptionis sacro quotannis esse peragendam ».

« Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem ,-ine labe originali conceptam colenuam et venerandam, gavisi sunt, quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis litaniis, et in ipsa Missae Praefatione immaculatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur ».

« Quoniam quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem objecta conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur, idcirco decessores nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam obiectum ac doctrinam declarare et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mento alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent... Ipsi praedecessores nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimae Virginis Ccnceprionis festum, ct Conceptionem pro primo instanti tamquam verum cult.us obiectum omni studio tueri ac propugnare. Hiuc decretoria plane verba, quibus Alexander septimus decessor noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit, inquiens: Sane votus est Christifldelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi eius Filii, humani gcneiis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immanem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium ».

«Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem decessoribus nostris, doctrinam de immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam... perspicuis declarationibus iteratisqua vicibus edixerunt: Doctrinam qua immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem, et eiusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia, solemnioribusque precibus usurparetur ».

Ecclesia ergo, ut diffundat aliquam fidei veritatem suamque doctrinam, 1° celebrare facit de ea diem festum cum proprio Officio et Missa, vel etiam cum octava. Nam « in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo », ait Pius XI (1), « longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates,

(1) Pius XI, Litterae Encyclicae « Quas primas » — Acta Apost. Sedis 17 (1925) p. 603.

quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici mag'sterïi documenta; siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum solemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per Sacrorum varietatem pulchritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat ».

2° Quorum festorum obiectum et doctrinam magisterium ecclesiasticum declarat, ipsorum ritum et solemnitatem auget, privilegiis et indulgentiis d.tat, eaque ad universam Ecclesiam extendit, solemniore modo in archibasilicis Romanis celebrari iubet.

3° Ecclesia confert facultatem eligendi obiectum festi in titulum altarium vel ecclesiarum, vel in patronum societatum vel hominum et rerùm, monasteriorum, domuum infirmorum, etc.

4° Ecclesia accipit iuramentum propagationis doctrinae fidei.

5° Veritas docenda exprimitur in invocationibus Litaniarum, in Orationibus, immo etiam in Praefationibus Missae aliisque formulis orationum et hymnorum.

6° Ecclesia magnam exhibet curam, ut in cultu suo liturgico celebrentur tantum oblecta quae digna sunt tali honore.

7° Alio iterum modo Ecclesia per Liturgiam doctrinam suam solet proponere: verba enim Sacrae Scripturae in sensu translato seu accommodatitio alicui personae vel facto applicat; vel etiam personam vel factum simpliciter cum verbis Sacrae Scripturae praesentat, sicut optime notum est v. g. ex officiis Sanctorum, praesertim ex Communi aliquorum Sanctorum.

8° Fideles ubique degentes recipiunt talem doctrinam Ecclesiae propositam, et ita non solum suum dant assensum, sed etiam student maiore frequentia et solemnitate eam circumdare; et quae in aliqua ecclesia locali primitus celebratur, postea saepe ab Ecclesia Romana studio et opera propagatur.

Liturgia ergo via ordinaria dici potest, qua Ecclesia capita principaliora fidei et doctrinae suae quotannis recolit fidelibusque proponit, non quidem modo sciemifico — in thesibus, definitionibus, articulis, quaestionibus scholasticis, capitibus, canonibus (ad haec suprema in Ecclesia auctoritas exercet potestatem magisterii et utitur definitionibus, encyclicis, aliisque documentis doctrinalibus) — sed adaptata fini practico cultus, Dei scilicet glorificationi hominumque sanctificationi.

Ideo Liturgia pertinet non tantopere ad theologiam speculativam, quantopere ad theologiam quae dicitur positiva et « theologia popularis » vocari potest: ipsa enim dogma non tantum intellectui porrigit, ut illud penetret cognoscendo, sed etiam voluntati, ut eam ad amplectendam veritatem eamque practice exercendam excitet, et cordi et menti, omnibusque viribus corporis et animae, ut eam in sucum et sanguinem conversam retineat et exhibeat.

§ d. - *Veritates fidei quae ex Ecclesiae professione magis explicite agnoscuntur, mox pari modo in Liturgia exprimuntur.*

« Liturgia est instrumentum principale magisterii ordinarii Ecclesiae », quo mediante ipsa Ecclesia clero et laicis transmittit' fidem et. doctrinam suam.

Unde veritates fidei, quae decursu temporis Ecclesiae professione magis explicite agnoscuntur, vel definiuntur, mox pari modo etiam in Liturgia exprimuntur, et quidem variis illis modis, de quibus in paragraphe antecedente actum est: praesertim scilicet per institutionem festi cum proprio formulari Officii et Missae Breviario et Missali inserendo, vel etiam cum octava celebrando., sive saltem per Orationem propriam (vel communem) Missali et Breviario inserendam, necnon, si agitur de novo festo alicuius mysterii vel alicuius Sancti, per elogium Martyrologio Romano addendum, sive etiam per novas caeremonias seu sacros ritus. Uniusmodi facta sunt solemnes definitiones dogmaticae, puta Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, canonizationes Sanctorum, declaratio alicuius Sancti tamquam Ecclesiae Doctoris; huc pertinebant etiam celebratio SS. Nominis Jesu, SS. Cordis Jesu, Regalitatis Christi, Maternitatis divinae B. M. V., et alia plura (1).

Plura enim festa, praesertim deinde a saeculo XIII, directe et immediate a Summis Pontificibus instituta vel sanctionata sunt, ut aliquam fidei veritatem populo continuo in memoriam revocent: huc pertinent festum SS. Trinitatis; festum SS. Corporis Christi (quod respicit totum dogma eucharisticum, sacrificium Christi et Ecclesiae, realem praesentiam Christi, s. communionem); festum SS. Cordis Jesu, quod docet amoris divini Cordis theologiam; festum S. Familiae, quod per propositum S. Familiae exemplar sanctificare studet familiam Christianam; festum Christi Regis, quod exponit fundamentum

(1) Cfr. L. Beauduin-V. Michel, Liturgy the life of the Church (Collegeville 1926) p. 85-91.

theologicum extensionemque regni et dignitatis regalis Christi; Missa Christi Summi et Aeterni Sacerdotis, quae ostendit Christi mediationem universalem et sacerdotalem, etc.

Cum maiore modo realis Christi in SS. Sacramento praesentia praedicabatur, augebantur processiones theophoricae, expositiones, adorationes; cum realis haec praesentia etiam tamquam exuberans fons gratiarum intelligeretur, augebantur benedictiones cum SS. Sacramento, pro infirmis quoque, et campis et fructibus terrae.

Ut potens Mariae auxilium ad componendum bellum mundiale affirmaret, Pius PP. XTI mundum solemni modo consecravit Immaculato Cordi beatissimae Virginis eique festum instituit; plura alia huiusmodi facta offert historia Liturgiae.

§5. - *Veritates, quae novis haereticis impugnantur, disertius affirmari solent in formis et formulis liturgicis.*

Cum Jjiturgia ex natura sua sit praepotens evangelizationis instrumentum, facile infelligitur Ecclesiam ea uti, ut contra haereticorum impugnationes ea mediante disertius affirmet fidei veritatem: id quod pluribus exemplis demonstrari potest.

Judaei ieiunabant feria II et V. Sectatores iudaizantes talem praxim etiam in Ecclesia retineri debere dicebant. Hinc vestigia luctationis contra Judaismum inveniuntur in *praxi ieiunandi* feria (IV et) VI (et in Occidente etiam sabbato).

Quaedam dogmata, ab haereticis magis impugnata, frequentius in publicis Ecclesiae precibus memorantur, ut Christiani illa firmiter teneant (1).

In controversiis de SS. Trinitate contra *Arianos,* aliosque qui negabant consubstantialitatem Trium Divinarum Personarum, addebantur in fine Psalmorum et Hymnorum et in multis aliis orationibus doxologiae ceteraeque formae, quae huiusmodi veram doctrinam solemnius proclamant; in specie mutabatur etiam doxologia « Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto », antea in usu, (piae non satis exprimere Videbatur aequalitatem Trium Divinarum Personarum, in alteram notiorem: « Gloria Patri *et* Filio *et* Spiritui Sancto », ut ita melius appareret perspicuitas eius, quod dicitur in hymno « tribus honor unus ». Synodus Vasionensis (529) dicit additamentum: «Sicut erat in prin-

(1) Cfr. W. De Vries, Lex supplicandi-lex credendi = Ephemerides Liturgicae 47 (1933) p. 51-55.

cipio » etc. quod Liturgia Graeca et Mozarabica ignorant, propter haereticos factum esse (1). Insuper in conclusione Orationum expressis verbis affirmatur Christi deitas, et cum Patre et Spiritu Sancto aequalitas, his verbis: «Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti (ut) *Deux* per omnia saecula saeculorum »; Ariani simpliciter concludebant: « Per Christum Dominum nostrum ».

Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum, quod ortum est in controversiis trinitariis, in Liturgiam susceptum est primo Antiochiae circa finem saeculi V, deinde Constantinopoli versus finem saeculi VI; in Occidente eodem saeculo VI similiter contra haereticos in Hispania in usum liturgicum recipitur.

Hymnus *Gloria in excelsis,* qui clare ostendit characterem trinitarium, iam in Sacramentario Gregoriano invenitur. Dogma SS. Trinitatis clare testificatur in Liturgiis particularibus, paulo post peractas de hoc controversias ortis.

De cetero, contra Arianos, saepe saepius in orationibus exprimitur veritas Christum Jesum esse « verum Deum de Deo vero » (2). Incipiebant etiam tunc temporis ad ipsum tamquam ad Deum directe dirigere orationes liturgicas, quod antea, solus usus privatus fuisse videtur. Invocatio « Christe, eleison » invenitur apud S. Gregorium Magnum. Controversiae christologicae magnopere in Liturgiarum formulas influxerunt. (3): in Sacramentario Leoniano dogma christologicum clare enuntiatur; qui liber in vetustissimis suis elementis certe iam est ex saeculo V (4).

Ita v. g. in aliqua Oratione pro Quatuor Temporibus Decembris ita oratur (5): « Praesta, quaesumus, Domine, Deus noster, sacramentum hoc in ecclesiis indiffidenter intelhgi, ut unus Christus in Dei atque hominis veritate nec a nostra divisus natura, nec a tua discretus adoretur essentia ».

Oratio « Deus, qui humanae substantiae dignitatem», quae nunc in usu est ad Offertorium Missae in admixtione aquae ad vinum, in Sacramentario

(1) Cfr. Joli. Br inktr ine, Die heilige Messe (Paderborn 1931) p. 52.

(2) Cfr. J. A. Jungmann, Die Stellung Christi im liturgischen Gebet (Münster i. W.1925); Ph. Oppenheim, Christi persona et opus secundum textus liturgicos «= Ephemerides Liturgicae 49 (1935) 367-381; 50 (1936) 224-242; in., Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 241 ss.

(3) Ita divinitas Verbi affirmatur (contra Arianos Socinianosque) in Sacramentario Leoniano (Mutatori 476), in Gelasiano (TÏÏOM. p. 4, 47, 106, 232, etc.), in Missali Gallicano vet. (THOM. p. 377); Christum verum esse et Deum et hominem, in Leoniano (p. 314, 469), in libello Orationum gothico-hispano (p. 37, 64, 98).

(4) Cfr. Ph. Oppenheim, De libris liturgicis deque iure ex eis manante (Taurini-Romae 1940) p. 19-23.

(5) Sacramentarium Leouianum (ed. Feltoe), Cambridge 1896, p. 171.

Leoniano iam invenitur tamquam Oratio pro festo Ss. Martyrum Pastoris, Basilii et loviani (1), et est vetusta Oratio Nativitatis.

Liturgia Gallicana clare testatur, secundum doctrinam Conciliorum Ephesini et Cbalced.onensis, duas naturas in unitate personae Christi; ita v. g. aliquando oratur: «Per Christum, qui cum Deus esset aeternus, homo fieri» (dignatus est) « unus ideinque et Deus summus et homo perfectus et pontifex maximus» (2). Saepius in hac Liturgia oratio dirigitur ad Christum, etiam in canone Missae.

Contra pneumatomaclios, ut processus Spiritus Sancti non ex solo Patre, sed etiam ex Filio crederetur semperque in memoriam revocaretur, in Symbolo Nicaeno additum fuit « *Filioque* » (« qui ex Patre Filioque procedit »), quod additamentum invenitur saeculo VI in Liturgia Hispaniae, saeculo VII et VHI in Gallia et in Germania; anno 1014 Benedictus VIII, petente Henrico II imperatore, illud in Liturgiam Romanam suscepit; quam susceptionem in Liturgiam officialem Ecclesiae Romanae coaequare dogmaticam definitionem de hac doctrina putat Pr. Guéranger.

Idem dogma insuper in stropha VI' hymni *Veni, Creator Spiritus* per haec verba confirmatur:

« Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te *utriusque* Spiritum
Credamus omni tempore ».

Divinitas Spiritus Sancti clare exprimitur etiam in Sacramentario Gelasiano (3), in libello Orationum gothico-hispano (4), et pluribus aliis locis (5).

Dogma trinitarium clare testificatum invenitur in Liturgiarum formulis, quae post controversias ortae sunt (6). Sacramentarium Gelasianum, quod ortum est probabiliter versus finem saeculi V (7), sicut etiam Sacramentarium Leonianum, ostendit doctrinam omnino orthodoxam de SS. Trinitate. Dogma in controversiis clare ela-

(1) Ibd. p. 159.

(2) Cfr. Fk. J. Mone, Lateiniscbe und griechisclie Messen aus dem 2-9. Jahrhundert (Frankfurt a. M. 1850) p. 17; cfr. p. 20.

(3) THOM. p. 46.

(1) p. 117; cfr. Renaupin, l. c. p. 51.

(5) Cfr. caput de conceptu personae et operis Spiritus Sancti in Liturgia, apud: Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurinl-Romae 1941) p. 251-255.

(6) Cfr. Ph. Oppbnehim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 226-233.

(7) Cfr. Ph. Oppenebim, De libris llturgicis deque lure ex eis manante (Taurinl-Romae 1940) p. 23 ss.

boratum hie in forma orationis occurrit. Libri Liturgiae Gallicanae clare distinguunt in Deo unitatem in substantia et trinitatem in personis.

Contra Pelagianos, qui negabant necessitatem recurrendi continuo ad divinum auxilium, ut ostendatur hominem ne initium quidem boni operis ex se instituere posse, introductus vel auctus est usus Versiculi «Deus, in adiutorium meum intende» (in offleio) et alterius: « Adiutorimn nostrum in nomine Domini» (ante benedictiones et alibi) (1). Praeterea Orationes in Dominicis, praesertim post Pascha et Pentecosten inculcant necessitatem gratiae tum ad incipiendum aliquid bonum, tum ad perseverandum in bono (2), et ita videntur vestire decreta conciliorum saeculi V contra Semipelagianismum forma orationis, sicut etiam Orationes Missae in Gelasianis et Gregorianis sa\ cramentariis contra Semipelagianismum diriguntur, et etiam Leonianum continet Orationes, quae condemnat Semipelagianos.

Ita iu Oratione Dominicae T post Pentecosten oratur: « Quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae». In Oratione Dominicae IX post Pentecosten Ecclesia petit: « Ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare». Oratio Dominicae XVI post Pentecosten ita sonat: « Tua nos, quaesumus, gratia semper et praeveniat et sequatur ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos ». Petitur ergo non solum, ut divina « gratia semper nos praeveniat et sequatur », sed etiam, ut Deus tribuat, ut quae placita sunt ei, postulemus.

In Missali Gothico (circa linem saeculi VII) clare enuntiatur *doctrina de peccato originali* et de necessitate gratiae; similiter in saeramentario Leoniano, Gelasiano et Gregoriano. Missale Visigothorum, quod edidit Blanchinus, de peccato originali loquitur terminis, qui a S. Augustino inspirati vel etiam desumpti esse possent, v. g. his verbis: « Domine Jesu, qui beatissimas virgines Justam et Rutinam de vasis irae fecisti vasa misericordiae, dmn originalis peccati traduce conligatae sacrosanctae generationis meruerunt dealbari baptismo » (3).

Contra Donatistas S. Augustinus composuit hymnos dogmaticos, qui in ecclesia Africana cantabantur.

Contra Manichaeos, qui Missae negabant characterem sacrificii, S. Leo Magnus in Canonem Missae introduxit verba (post: «offerimus praeclarae maiestati tuae ») « sanctum sacrificium, immaculatam Ho-

(1) C£r. DTC IX coi. 796.

(2) Cfr. Pu. Oppenheim, Introductio in scientiam liturgicam (Taurini-Romae 1910) p. βΐ; ID., Tractatus de lure liturgico II (ibd. 1939) p. 94-96.

(3) Diet, de Théol. oath. IX, 1 coi, 127.

stiam »(1); Maniehei enim usum vini eiusquo exhibitionem in S. Eucharistia peccatum esse declarabant: contra quam opinionem falsam citatum additamentum inculcat sanctitatem sacrifici sub utraque specie.

Simili ratione, contra haereticorum impetus scilicet, iam tempore antiquiore in textibus et ritibus liturgicis exprimuntur, tamquam Ecclesiae rectae fidei protestatio contra haereticos vel novatores: virginitas et maternitas beatissimae Deiparae Mariae, transsubstantiatio eucharistica et realis Christi praesentia in S. Eucharistia, cultus et communio Sanctorum, primatus S. Petri et Romani Pontificis, et plura alia.

§ 6. - *Praecellit Liturgia Ecclesiae Romanae.*

Sacra Liturgia, quae precibus et ritibus exprimit fidem pastorum et fidelium, solemne testimonium fidei cum Sacrae Scripturae, tum Traditionis praebet. «Quis nesciat», ait merito F. A. Zaccaria (2), «nullam esse quaerendae in fidei rebus veritatis aptiorem viam, quam quae Ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanae praesertim de illis sententia fuerit, investigare?... Falsa enim esse non potest, quam Romana, aut universa Ecclesia per orbem diffusa tradit, doctrina. Unde porro Ecclesiarum mens dignosci tutius possit, quam ex liturgiis, quae singularum, in quibus usurpantur Ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum presbyterorumque, inuno et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt? ».

Inter omnes Liturgia» praecellit enim Liturgia Ecclesiae Romanae nam: «) «nulla per orbem Ecclesia aeque ac Romana cunctis retro temporibus ab omni faece haeresium pura permansit » (3). « Ad hanc Ecclesiam », ita iam S. Irenaeus, « propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui undique sunt fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae ab Apostolis est traditio » (-1). Unde tenere quod tenet Sedes Apostolica vel Ecclesia Romana est semper magni momenti, immo aeque quod tenet Ecclesia catholica. Nam Ecclesia universalis,

(1) Secundum Librum Pontificalem (de S. Leone Magno); cfr. J. Br inktr ine, Dic heilige Messe (Paderborn 1931) p. 178.

(2) F. A. Zaccaria, Bibliotheca ritualis I. De usu librorum liturgicorum in rebus dogmaticis diss. II c. 2 (Romae 1776) p. LVII.

(3) Walafridus Strabo, De exordiis et incrementis quarundam in observationibus ecclesiasticis rerum c. 22 (PL 114.)

(4) S. Irenaeub, Adversus haereses III, 4, 2.

saltem implicite, servat ea, quae, vi auctoritatis suae, expressis verbis, aut etiam implicite, iubet Sedes Aposiolica (1). Notandum vero est Sedem Apostolicam et Ecclesiam Romanam qua talem, praeter indicia a Summo Pontifice formaliter prolata, afferre normam quandam actualem, quae veiuti testimonium Sanctae Sedis habitualis doctrinae et catholicae traditionis infallibile habenda est. Id quod sequitur ex eo, quod Summi Pontifices, constanter et praecise, veritatem quandam docent tamquam fidei, cui assentiunt fideles, quam clerus agnoscit, et praedicat, praesertim Collegium Cardinalium, quorum adiutorio universalis Ecclesia administratur. Imino hoc testimonium est quaedam regula, quae indicat omnibus fidelibus doctrinam, quam Romani Pontifices ab Ecclesia universali volunt amplectendam et retinendam (2). Nam in Ecclesia Romana « semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae ab Apostolis est, traditio » (3). Quare Walafridus Strabo (4): «Et Romani» quidem, inquit, «usum observationum a B. Petro principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus quae congrua iudicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus iam multae gentes imitantur, et tanti magisterii ex apice apostolico primordiis clarent ».

Inde appareat, quanta valeat de re dogmatica mens Ecclesiae Romanae in libris liturgicis manifestata. Libri liturgici Ecclesiae Latinae Romaune deinde ab anno 1568 successive ab ipsis Summis Pontificibus, vel, eorum nomine et auctoritate, a S. Rituum Congregatione editi sunt omnibusque sub gravissimis sanctionibus impositi (5): unde ipsi continere et exhibere debent fidem et doctrinam Ecclesiae Romanae, quae est universalis; errores vero in rebus fidei et morum in eis inveniri non possunt, vel si essent, saltem per longius tempus in ea retineri nequeunt, quia alias Ecclesia a suo scopo, docendi homines veritatem, deficeret. Verunitamen non sufficit, ut fibri liturgici inscribantur « ad usum Ecclesiae Romanae », sed certo constare debet illos ab Ecclesia Romana revera usitatos fuisse aut saltem illius Ecclesiae ritus describere et doctrinam in illa servatam tradere.

Liturgia vero, sicut traditio, cuius est pars praecipua, specialem habet auctoritatem in re doctrinali eo ipso, quod in Ecclesia Romana usurpatur. Cum Ecclesia Romana enim tot aliae ecclesiae unitae sunt,

(1) P. Renaudin, De auctoritate sacrae liturgiae in robus fidei = Divus Thomas, Freiburg 13 (1035) p. 12.

(2) Scheebbn, Dogmatik I n. 332 es.

(3) S. Irenaeus, Adversus haereses III, 4, 2.

(4) Walakridus Strabo, Ibd.

(5) Cfr. quoad singulos libros in specie: Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico III. De libris liturgicis deque iure ex eis manante (Taurini-Romae 1910) p. 109-175.

ut iure dicatur ipsam repraesentare Ecclesiam universalem. Ecclesia autem qua Ecclesia errare nequit, ergo neque in Liturgia sua aliquid clare proponere potest tamquam partem fidei et doctrinae suae, quod erroneum est.

b) Item infallibile testimonium affert concors et moraliter universalis praedicatio authenticorum testium, scilicet Episcoporum et doctorum vel sacerdotum qui ab eis mimus docendi veritatem accipiunt, ex eo quod vox illa omnium Episcoporum, quae ut traditionis propria et ordinaria forma vel potius ut traditio ipsa habetur, *est testimonium omnino catholicum,* sive formaliter totius Ecclesiae docentis, sive virtualiter, tamquam principium et mensura fidei. Unde non pendet a fidelibus qui fortasse veritatem nesciunt aut non profitentur, neque a sacerdotibus qui aliquando Episcopo non consentiunt in docendo. Imo est infallibile abstractione facta durationis, secundum Domini verbum: «Ego vobiscum sum omnibus diebus» licet, de lacto, non possit existere, aut dignosci in sua universalitate sine quadam duratione (1).

Si omnes Episcopi eandem tenent sententiam, certo veritatem docent; probabiliter, si aliqui tantum conveniunt, aliis non contradicentibus (2). Sane agitur de totalitate *morali,* quam haberi dicit Cardinalis Perronius (3): « cum singularum nationum eminentissimi in alicuius rei assertione conveniunt, ita, ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus, semperque orthodoxis adhaesit, dissentiat ». Quodsi ad consensum Episcoporum accedit confirmatio supremae auctoritatis sive concessa sive concedenda, ista sententia ut certa traditur conditionaliter. « Si ista confirmatio vel supponatur vel asseratur ab omnibus Episcopis docentibus, time certa evadit ex ipso facto illius consensionis » (4). Ita sentit traditio catholica (5).

Hinc Concilium Ephesinum litteris a Nestorio exegit, ut iuraret se sentire quae universi per Orientem et Occidentem Episcopi principesque populorum crederent ac docerent. Quae epistula comprobata est a Synodo sexta, act. 11.

Item S. Augustinus putat (6) aliquem librum esse verum et canonicum, quia omnes Episcopi illum receperunt.

Secundum S. Irenaeum (7) sensus omnium doctorum et Episcoporum sufficit ad ostendendum aliquam veritatem esse de fido: et qui eorum sensui refragatur, ait, sententiae Ecclesiae refragari.

(1) Cfr. Scheeben, Dogmatik X. n. 328 sq.
(2) J. J. Berthier, Tractatus de locis theologicis, Pars I llb. 2 n. 377.
(3) Resp. ad Reg. Brltt.
(4) Berthier, Ibd. 378.
(5) P. Renaudin, Ibd. 43, qui citat Banez.
(B) S. Augustinus, Contra Faustum 28, 2 et 33, 9.
(7) S. Irenaeus, Adversus haereses III, 3 et IV, 43 et 53.

Secundum S. Cyprianum (1) Ecclesiae contradicit, qui Episcoporum sententiae resistit: de quibus dixit Deus: Qui vos audit, me audit, etc. (2).

S. Augustinus (3) Pelagianorum argutias contra peccatum originale fusius convellit auctoritate, scilicet decem illustrium Episcoporum necnon S. Hieronymi presbyteri. « Propter quam catholicam veritatem » (agitur de existentia peccati originalis), inquit, sancti ac b?ati et in divinorum eloquiorum pertractione clarissimi sacedotes. Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Johannes, Basilius, quibus addo presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam...(4) ...His eloquiis et tanta auctoritate sanctorum (episcoporum), profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi optem, videt quid faciat; aut si, quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia, et est magna stultitia, perduraveris, non tu iu lices quaesiturus es, ubi causam tuam tu purges; sed ubi tot sanctos doctores egregio» atque memorabiles catholicae veritates accuses, Irenaeum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Iohannem, Innocentium, Hieronymum caeterosque socios ac participes eorum, insuper et universam Christi Ecclesiam, cui divinae familiae dominica cibaria ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt » (5).

Similiter multi alii docuerunt et docent.

Praeterea non esset consentaneum rationi affirmare errantiam omnium Episcoporum: si omnes Episcopi errarent, tunc tota Ecclesia erraret, eum plebs Christiana teneatur, ut pastorum doctrinam amplectatur, secundum illud Matthaei (23,3): «Omnia quaecuinque dixerint vobis, servate, et facite ».

« Insuper, aliunde, quomodo omnes Episcopi unam candemque sententiam publice in Ecclesia docere possent, quin reclamet et damnet eam Summus Pontifex, si falsa et erronea fuerit, si nempe, ut certa tradatur, quae probabilis tantum fuerit; vel ut probabilis, quae certa omnino fuerit aut omnino falsa; vel ut vera, quae erronea exstiterit? Secus namque et muneri suo deesset Pontifex, et enare posset tota Ecclesia. Unde si tacet Pontifex, cum loqui potest, signum est ipsum consentire atque idcirco Episcopi habent Pontificem nisi explicite, saltem implicite consentientem. Ergo veritatem certo docent, ita. ut, cum ut probabilem tradunt, doctrina eorum revera sit probabilis... cum autem ut certam exhibent, sit reapse certa, et pertineat ad fidem catholicam, vel definitam vel definibilcm» (6). Aliam addit rationem cl. Bert,hier (7) *«Impos-*

ti) S. Cyprianus. Epistula IV, 9.
(2) Banez, II-II, q. 1 art. 10 dub. 3 in fusiore Commentario.
(3) S. Augustinus, Contra Julianum lib. II.
(4) PL *11,* 697.
(5) Ibd. 701.
(6) Berthier, Tractatus de locis theologicis P. I lib. 2 n. 381.
(7) Ibd. 380.

sibile est tot fautosque viros, doctrina et virtute praestantes, locis distantes, in re tanti momenti, *eadem sententia convenire, quin sit vera* haec sententia, sou cum veritate infallibili conveniat, quia veritas sola eademque clare perspecta unitatem huiusmodi parere potest, ita ut omnes idem eodem modo asserant». De facto, testimonium illud Episcoporum quod innotescit ex cleri doctrina et populi christiani fide, ita ut omnium Ecclesiarum etiam denominetur, argumentum certum afferre potest in rebus fidei. Exemplum habemus in definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis, quando Piru IX omnium Ecclesiarum sententiam exquisivit.

Fidem vero Ecclesiarum ac proinde Episcoporum praesertim testificantur liturgiae necnon Conciliorum particularium decisiones circa cultum divinum, scilicet circa orationes, symbola, et ritus. « Unde », ait iam citatus Zaccaria (.1), « Ecclesiarum mens dignosci tutius possit, quam ex Liturgiis, quae singularum, in quibus usurpantur, Ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum presbyterorumque... suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt »?

S. Hieronymus iam Lucifi.rianis obiiciebat (2). « An nescis, etiam ecclesiarum hunc esse mor-.ni, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus! Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar praecepti obtinet ».

Trullana quoque Synodus testimonia Liturgiarum S. Basilii et S. Jacobi fratris Domini in medium attulit ut Armenos, qui aquam e calicis vino abstulerant, coargueret (3). Quis non videt istas Liturgias particulares duorum Episcoporum tanti valere quanti ecclesiarum traditio dogmatica, cuius praecipuam partem constituunt iuxta principium supra allatum, et «quod omnium Episcoporum assertum imprimis sit certum et irrefragabile propter connexionem certam cum supremi eiusdemque per se Infallibilis magisterii » (4).

c) *Aliud* existit *traditionis testimonium,* cui sedulo attendere oportet in rebus dogmaticis, scilicet sensus fidelium qui in illorum credentia et religiosis usibus manifestatur, dummodo sit constans et universalis. Sane haec populi christiani persuasio voci Ecclesiae docentis respondet, ab illa originatur tamquam a traditione praecone. Unde indefeef ibilitatcm Ecclesiae docentis part ici]>at Ecclesia credens, quae in re una eademqtie Christi familia efficitur. Ideo sub hoc respectu

(1) F. A. Zaccaria, Dc usu librorum litiirgicoruin in rebus fidei, c. IV n. 2.
(2) S. Hieronymus, Dialogus adversus Luciferlanos c. 4.
(3) Zaccaria, Ibd.
(4) Berthier, Ibd. n. 381.

Patres inter utramque nullam distinctionem ponunt nec ipse S. Thomas, qui in verba Domini: Ecce ego vobiscum sum ait: «Non cum illis solum dixit se futurum esse; sed et cum omnibus qui post illos credunt: non enim usque ad consummationem saeculi Apostoli mansuri erant; sed sicut uni corpori fidelibus loquitur» (1). Jure ac merito sensus ille fidelium implicat Spiritus Sancti testimonium immediatum et relative independens, iuxta s. Paulinum (2): «Ab omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Sanctus spirat».

Qui sensus fidelium maxime considerandus est, praesertim si data occasione maiorem unitatem secum iert et determinationem quam Ecclesia docens; vel si maior pars docentium ab unitate catholica deficeret, ut evenit tempore Arianismi; aut etiam, si Summus Pontifex de quavis doctrina sensum plebis Christianae investigaret, ut factum est ante dogmaticam definitionem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis (3).

Notandum vero est, hic agi tantum de veritatibus, quae secundum verbum S. Augustini, cognitionem non fugiunt popularem; praeterea, numquam ad plebem recurri tamquam ad iudicem (4).

Ideo Ecclesia publico fidelium cultui et venerationi mysteria fidei proponit, quae ex universali ostensione credentium certum testimonium accipmnt. Unde Pius IX in Bulla «Ineffabilis Deus» ait: «Hanc doctrinam (Immaculatae Conceptionis) ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam, ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit».

Etenim *Ecclesia depositum fidei servat et transmittit etiam orando,* scii, per Liturgiam et devotiones quae, ut patet, nexum intimum habent cum doctrina supernatural!.

«Discentis vero Ecclesiae fides», ait recte Bainvel (5), «sensu catholico manifestatur, qui sensus et ipse in fidelium precibus, devotionibus, canticis multiplici agendi ratione elucet».

Putat vero Scheeben (6) hanc manifestationem sensus catholici in Liturgia afferre testimonium Spiritus Sancti, et etiamsi tempore

(1) S. Thomas, Catena aurea, Matth. c. 28.
(2) S. Paulinus Nolanus, Epistula 4.
(3) P. Renaudin, Loco citato p. 46.
(4) Cfr. Scheeben, Dogmatik n. 234.
(5) Bainvel, De magisterio vivo et traditione, n. 97.
(6) Scheeben, Ibd. n. 318.

antecedente veritas latens remanserit, eiusdem pretii esse aestimandum, ac si antea perpetuo claruisset, quia Ecclesia permanenter a Spiritu Sancto regitur et indefectibiliter edocetur; aliis verbis: etiamsi aliqua veritas solum ex Liturgiis Ecclesiae universalis erui potest, quae scilicet veritas antea aliis documentis in doctrina Ecclesiae aperte pronuntiata non est, sufficit Liturgiarum unanime testimonium ad eam veram ostendendam.

Unde apparet « maximi faciendam esse auctoritatem sacrae Liturgiae, eamque habendam uti testem omni exceptione maiorem Traditionis et Ecclesiae fidei. Is solus inficias iverit, qui non adverterit, in illa Ecclesiarum omnium, praesertim Romanae, exhiberi vocem ac testimonium Episcoporum, Presbyterorumque, et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata » (1).

Sedulo vero animadvertendum est haec superius dicta referre oportere ad solam rem dogmaticam, non ad facta mere historica (2).

Ex principiis allatis, quantae sit auctoritatis Liturgiarum in rebus dogmaticis consensus, nemo est qui non videat; ipsae practicum totius Ecclesiae testimonium de rebus fidei exhibent: Legem credendi lex statuat supplicandi (3).

(1) Zaccaria, Ibd.

(2) Bainvel (l. c. n. 107) adnotat: impositio quidem cultus ad universalem Ecclesiam non videtur semper importare veritatem facti mere historicam, cum potius videatur Ecclesia personam honorare quam hoc ipsum factum, de ipso cultu statuere quam de facto. Videndum est quis sit sensus Ecclesiae vel fidelium, quod aliquando non ita facile dignoscitur. « Attamen impositio illa cultus ad universalem Ecclesiam importat aliquando facti veritatem, si res sit dogmatica, ut in Immaculata Conceptione, in Assumptione ».

(3) Pesch, De Sacramentis p. 317.

Caput IU.

Character et methodus instructionis liturgicae (1).

Methodus definiri potest tamquam ille modus agendi, quo aliquis ita utitur certis determinatis elementis vel actibus intentionaliter dispositis, ut ad determinatum finem perveniat (2). Qua in re parvum interest, utrum ille finis intentus sit cognitio alicuius linguae, artis vel scientiae, an sit aliqua habilitas teehnica, ars sonandi vel pulsandi aliquod instrumentum musicale, exstirpatio alicuius defectus moralis, recollectio in oratione, obtinenda vitae integritas: res principalis est, ut finis clare sit intellectus et ordine et continuitate instituantur actus, qui idonei sint ad attingendum ipsum finem. Ipsa methodus in se est via ad assequendum aliquid ac proinde numquam potest sufficere pro se sola.

Quodsi ergo Liturgia intelligitur tamquam methodus, ipsa non est finis seu pro se sola vel propter se ipsam, sed est medium, instrumentum: eius est ut formet mentalitatem religiosam dirigendo cogitationes, stimulando et vivificando viros et voluntatem. Et est *methodus praecipua,* qua Ecclesia prosequitur fine* suos. Ecclesia enim constituta est. ut in Deum dirigat hominum mentes per veram fidem, et voluntates per praxim virtutum supernaturalium. Et ideo per suam Liturgiam quoque intendit docere et inculcare veram fidem et virtutes Christianas » ut « populo ad aeternitatem vocato una sit fides mentium et pietas actionum » (3). Et ita in modo ordinandi cultum divinum intendit in animabus et fructum doctrinalem, et fructum moralem et asceticum.

(1) Cfr. G. Malherbe, Lu Liturgie comme source et comme methode d'enseignement de la doctrine catholique =« Cours et Conférences des Semaines Liturgiques II (Louvain 1911) p. 295-321; C. Callewaert, Liturgicae Institutiones I (ed. 3, Brugis 1933) p. 51-55: I. Ryelandt, Liturgie et méthode «= Revue liturgique et monastique 10 (1930-31) p. 58-69.

(2) I. Ryelandt, l. c. p. 59: ⁸ Un ensemble de procédés, ou d'éléments, disposés intentionellement, de manière à conduire celui qui en use à un résultat prévu »; Larousse. Dictionnaire (s. v.) :« Une marche raisonnée que l'on suit pom· arriver à un but ».

(3) Oratio post prophetiam X Sabbato Sancto. Similiter petit Ecclesia: « ut et quae agenda sunt videant, et ad implenda quae viderint, convalescant » (Dominica infra octavam Epiphaniae). Cfr. Orationem feriae V post Pascham: Orationem Dominicae VIII post Pentecosten.

Et est *methodus generalis,* quam Ecclesia ubique exhibet omuibusque fidelibus cuiuslibet loci vel temporis applicat. Liturgiam enim habet omnibusque imponit tamquam cultum suum publicum et officialem. Tamquam methodus generalis ('ducationis Christianae non supprimit ius existentiae et actionis aliarum methodorum particularium magis restrictarum.

Methodus, qua Ecclesia utitur in proponenda fide et doctrina catholica, duplicem deinde ostendit characterem: simul est methodus supernaturalis et methodus intuitivo-practica, ac proinde apte accommodata naturae tum Ecclesiae tum humanae.

Est *methodus supernaturalis:* agitur enim primario de proponenda doctrina divina vitaque supernaturali, ab ipso Deo revelata vel inspirante Spiritu Sancto a magisterio Ecclesiae proposita, cui doctrinae omnis Christianus non tantum credere debet, submittendo propriam suam intelligentiam (1), sed etiam sincere adhaerere et vitam suam practicam conformare debet. Quia vero homo id praestare non potest propriis suis viribus, ideo continuo et pro diversissimis necessitatibus divinum invocare debet adiutorium; quae invocatio eo, quod fit a tota Ecclesia collective et ex officio, efficacior est et instantior (2). Utitur etiam aliis mediis supernaluralibus. Agitur enim de ritibus qui supernaturalem secum ferunt effectum: de Missa, de Sacramentis, deque Sacramentalibus, et de factis vel obiectis supernaturalibus, quae in vita Christi videntur quaeque ab Ecclesia continuo nobis ante oculos ponuntur.

Talis methodus instructionis psychologice omnino correspondet naturae populi, qui amat videre mirabilia, mystica, supernaturalia; quae omnia Liturgia continet et praestat, ex vero et genuino fonte, et ideo, si rite exhibetur et explicatur, conservat fideles a falsis doctrinis et exercitiis mysticis, spiritisticis, salutaristicis et a superstitione.

.Methodus qua Ecclesia prosequitur fines suos, *correspondet deinde*

(1) Cfr. S. Anselmus, De fide Trinitatis, Praefatio: «... Ut alia taceam, quibas sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: Nisi credideritis, non intelligetis, aperte nos monet intuitionem ad intellectum extendere, cum docet, qualiter ad illum debeamus proficere... Sed priusquam dè'quaestiono disseram, aliquid praemittam, ad compescendam eorum praesumptionem, qui nefanda temeritate audent disputare contra aliquid eorum, quae fides Christiana confitetur, quoniam id intellectu capere nequeunt; et potius incipienti superbia, indicant nullatenus posse esse, quod nequeunt intelligere, quam humili sapientia fateantur esse multa posse, quae ipsi non valeant comprehendere. Nullus quippe Christianus debet disputare, quomodo quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur, non sit: sed semper eamdem fidem indubitanter tenendo, amando, et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat: si non potest non immittat cornua ad ventilandum; sed submittat caput ad venerandum ».

(2) Cfr. Pu. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romue 1941) p.50-56.

naturae Ecclesiae, quae et ipsa est supernaturalis, attamen visibilis, consistens ex superioribus et subditis.

Cum praepositi hierarchici divina polleant potestate, Ecclesia cum vera auctoritate exercet cultum, praescribit rubricas, ad fidem et vitam sanctam instruit. Unde pro subditis sequitur: oboedientiae obligatio et meritum — intra limites tamen in quibus Ecclesia obligare vult — et magna securitas in tranquilla possessione veritatis et viae virtutis.

Ecclesia deinde *una* est et *apostolica:* a tempore Apostolorum semper essentialiter eadem, in accidentalibus mutationibus se adaptat diversissimis exigentiis et ita semper est « sui temporis ». Similiter cultus essentialiter unus est idemque. Ordinationes vero cultus seu Liturgiae ratione gentium et locorum diversae fuerunt et adhuc sunt; ratione vero temporis, iisdem principiis insistens, et praxi traditae inhaerens, continuo, sed pedetentim mutatur et evolvitur pro adiunctis historiae Ecclesiae. Est itaque. Liturgia, praesertim occidentalis et romana, sapienter traditionalis et lente progressiva.

Unde verum gaudium nutrire possumus ex hoc, quod in cultu publico substantialiter eodem conveniamus cum omnibus fidelibus totius orbis, et quod in multis saltem, Deum laudemus, et exoremus iisdem verbis et ritibus, quibus tot generationes praeteritae Deo sacrificium et laudes obtulerunt per Christum Dominum nostrum.

Methodus qua instruit Liturgia, quam maxime denique *conformis est naturae humanae:* Ea est natura hominis, ut nihil perveniat ad intellectum, quod non prius fuerit in sensu, et praesertim rudes ad abstracta duci debeant per concreta: quae si pulchra sint, magis alliciunt et movent. Ulterius si mens saepe et vivide revolvat quasdam considerationes, eosque cordis affectu foveat et gustet, voluntas sponte impellitur ad actus iisdem cogitationibus conformes (1).

Jamvero Liturgia modo concreto, iuxta methodum intuitivam, per frequentem symbolismum, per artis pulchritudinem vivide de divitiis loquitur ad sensus, ut mentem ad meditationem, cor ad affectus, et voluntatem ad actus inclinet.

Est *methodus intuitiva,* nostris diebus tantis laudibus elata, quae exeundo ab aliquo facto vel obiecto concreto ad ideam vel ad doctrinam ducit, quam ipsum factum vel obiectum concretum sive ex natura rei sive ex conventione in audiente vel vidente producere, solet.

Methodus enim est, quam ipse *Deus* adhibet, ut nos doceat tam existentiam suam quam attributa: per visibilia nos adducit ad comprehendenda in-

(1) Cfr. A. Eymieu, Le gouvernement de soi-même, Paris 1909.

visibilia. Unde etiam S. Paulus in Epistola ad Romanos scribit (1): « Invisibilia enim Ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque Eius virtus. et divinitas». Methodus porro *matris* est, quae incipit docere infantem distinctionem rerum: obiectum, cuius existentiam, qualitates, valorem et usum docere vult, infanti proponit et tunc describit.

Methodus intuitiva *maxime efficax* est. ideo facile intelligitur successus quem habent libri vel periodica illustrationibus ornata. Ipsae imagines nempe quasi immediate illustrant dictum, diu quoque inhaerent memoriae et quidem cum omni doctrina, quae singulis obiectis adnexa fuit, eamque in memoriam revocant, quotiescumque obiectum vel factum ostensum redeunt.

Methodii.; intuitiva *facillima* quoque atque *gratissima* est: nam si quis v. g. optimam quae fieri potest, instructionem praestare vult de stylo.gothico, melius et facilius linem suum assequetur, si simpliciter ecclesiam gothicam ostendit, primo in globo, deinde characteristicas particularitates huius styli exponendo, quam si terminio et expositionibus mere abstractis vel theoricis uteretur.

Ecclesia plenum valorem methodi intuitivae intellexit ideoque eam in totum suum systema formationis spiritualis ae, religiosae hominum assumpsit. Et hoc non solum quoad modum, quo proponit fidem et doctrinam suam; etiam materia Liturgiae sacrae, singulae partes anni liturgici necnon et ipsi ritus et praecepta liturgica valorem instructionis intuitivae habent.

Quod paucis exemplis patebit. Opera pretium esset, si quis systematise ac diligenter totam Liturgiam sacram sub hoc respectu instructionis intuitivae perfoderet.

Liturgia, quae intendit rudes non minus quam doctos, utitur « adminiculis exterioribus » (2) ut modo concreto loquatur ad sensus, sicut in processione palmarum, aut in adoratione crucis. Subtilia ratiocinia et formulas scholasticas devitans, exemplis, actibus, et parabolis docet virtutes potius quam definitionibus (3), veritates exprimit verbis et locutionibus vulgatis, assertionibus repetitis (4), comparationibus et imaginibus ex Sacra Scriptura vel usu desumptis, sicut docebat turbas ipse Christus, ad captum populi. Liturgia docet intui-

(1) Rom 1, 20.

(2) Concilium Tridentinum, Sess. XXII o. 5.

(3) Ad *humilitatem* v. g. recole exempla et praxes tot Sanctorum et ipsius Christi, Evangelia de pharisaeo et publicano, de invitatis ad nuptias, de contentione Apostolorum quis eorum videretur· esse maior; perpende caercmoniem Mandati, tot inclinationes ante et infra Missam, prostrationem in Ordinationibus, tunsionem pectoris, admonitionem *Humiliate capita vestra Deo,* orationem *Domine non sum dignus,* etc. Et lege v. g. Introitus Missarum dominicalium, vel temporis quadragesimalis!

(4) Vide dogma SS. Trinitatis expositum in symbolo *Quicumque.*

live, per actus et signa, per res et colores et imagines; repraesentat quasi ad vivum nonnulla facta vitae divini Salvatoris (1).

Multa quoque in Sacra «Liturgia dicuntur per *symbolismum,* qui consistit in eo, quod adhibentur quaedam sensibilia (res, actus, habitus) ad ingerendam vel excitandam ideam aliquam ordinis moralis et maxime religiosi, ad quam exprimendam ista sensibilia ordinantur non sola natura sua (prout sunt signa naturalia), sed ex intentione adhibentis satis manifestata aut usu recepto, propter aliquam similitudinem aut relationem inter signum et significatum, qua unum aptum est aliud significare.

Fundamentum symbolismi *obieetwum* existât in ea qualitate, qua signum et significatum inter se conveniunt aut connectuntur; sw*biectivum* vero in ipsa, naturali tendentia, qua homo saepe utitur et delectatur omnimodis locutionibus figuratis. Unde symbolismus multum placet, et hodie rursus magis quam solebat excolitur in operibus artis (2), sed debet rite intelligi, et ideo explicari populo. Utinam singuli legere et intelligere valerent, quae saepe tam pulchre per symbolismum scripta sunt in sua ecclesia! Nostrum est ea explicare! Aliqua saltem exempla rem illustrabunt.

«▮) *Ren materiales* Liturgiae instruunt de fide vel doctrina Ecclesiae.

Omne *Altare* juxta praeceptum Ecclesiae debet habere lapidem, crucem, ciborium; specialem et elevatum obtinet locum in Ecclesia; solia Sacerdotibus et ministris, Sacrificio adsistentibus licet ad illud accedere; linteaminibus et floribus ornatur; peculiari honore circumdatur. Quae omnia a limine ecclesiae, saltem occidentalis, attrahunt oculum intrantis, praedicant grave momentum altaris et docent intuitive, altare esse centrum religionis et cultus, Sacrificium vero altaris esse Sacrificium totiu» Ecclesiae, vel saltem communitatis, et insuper incruentam repraesentationem Sacrificii cruenti Christi in cruce. Ubicumque ergo altare e suo loco totam ecclesiam dominante amovetur, vel crux in altari ad minimam formam reducitur, minuitur pari modo apud Fideles grave momentum et aestimatio tum Sacrificii tum mortis Christi tum etiam religionis.

(1) V. g. in processione palmarum aut In festo Purificationis, Puerum Jesum in praesepc tacentem.

(2) Cfr. v. g. quae de his scripsit C. Caixbwabrt, in: Collationes Brugenses XIII, 635 ss, et in: Questions Liturgiques I, 313 ss. .Mgr. Landhiot, Le symbolisme (Paris 1866); F. Délogé, Etudes sur la signification des choses liturgiques (Paris 1906); A. Lkrosby, Histoire et symbolisme de la liturgie (Paris 1890); E. Male, L'art religieuse du XIÏ1 siècle en France. Etude sur l'iconographie du moyen âge et ses sources (Paris 1902); Ch. Cahier, Caractéristiques dès Saints dans l'art populaire (Paris 1867); L. Cloquet, Eléments d'iconographie chrétienne (Lille 1890); J. Saver, Symbolik des Kirchengebaudes und seiner Ausstuttuiig (Freiburg 1902); M. C. Nieuwbarn, Het rooinsch Kerkgebouw (Nijmegen 1908); R. Guardini, Von heiligcn Zeichen (Würzburg 1925): I. Herwegen, Dos Kunstprinzip lu der Liturgie (ed. 2, Paderborn 1920); diversos auctores de historia artis christianae; Kraus, Kuhn, Exlakt, etc.

Etiam cotores *liturgici* habent suum valorem intuitivum.

Si V. g. non solum Sacerdos celebrans indutus est vestimentis praescripti coloris, sed etiam totum altare, imino omnia altaria ecclesiae extra Missarum soleninia cooperiuntur pannis eiusdem coloris; si porro etiam antipendium altaris et colopaeum tabernaculi, tapeta parietum iisdem coloribus ornantur, tunc tota ecclesia auget impressionem quam quis accipit, intrando in domum Dei, et statim in memoriam revocat characterem temporis: v. g. per colorem violaceum tempore Adventus vel Quadragesimae in memoriam revocatur gravitas et character poenitentialis istius temporis, vel, si tota ecclesia festivum ostendit ornatum albi vel rubri coloris, hoc non minus inservit fini praefato. Si talia praecepta Ecclesiae negliguntur, facile etiam spiritus religionis periclitatur, quem conservandum vel fovendum Ecclesia etiam per usum diversi coloris in paramentis et altarium tegumentis intendit.

Similiter *cereus paschalis* suam partem habet in instructione de charactere temporis paschalis: in solemnitate paschali Sabbati Sancti accenditur; per quadraginta dies proprium suum locum obtinet iuxta altare, ubi saltem ad celebrationem Sacrificii missae debet esse accensus. Per quem cereum docetur dogma resurrectionis Christi, qui est lux mundi, quique post resurrectionem suam per quadraginta dies apparuit discipulis suis. Usus cerei paschalis in benedictione quoque fontis baptismalis proprium suum sensum habet. Antequam catechumenus descendat in aquam, cereus immergitur, ut ita symbolice indicetur Spiritum Sanctum sanctificare et foecundare aquam, catechumenum «cum Christo per baptismum in mortem consepultum » (1) esse, per merita Christi in aqua mundari, et Spiritu Christi indui.

Valor ergo instructionis quod materiam liturgicam consistit in usu alicuius obiecti concreti.

b) Valor *temporum et festorum liturgicorum* instructivus e contra, consistit in eo quod facta concreta et dramatica adhibentur.

Ita *Temporale* seu officium de tempore infra annum liturgicum, praesertim in prima parte quasi cinematographice singula facta vitae Christi ostendit et quidem ordine historico, a Nativitate usque ad Ascensionem; modo omnino concreto proponit doctrinam et exemplar Christi, ita ut Fideles, qui secundum ordinationem temporis liturgici vitam suam instituunt, semper divinum exemplum prae oculis habeant, quod imitentur, semperque Eius vocem audiant, quae litteraliter eos docet suam doctrinam.

Tempus Nativitatis v. *g.* demonstrat singula facta infantiae Christi omniaque mysteria, quae cum illa cohaerent, tempus Passionis praesertim hebdomada sancta Christi passionem, tempus Paschale Christi triumphum in sua suorumque resurrectione, ete.

(1) Hom G, 4.

Similia diei possunt quoad *Sanctoralc:* liturgice consideratum, locum suum haberet solummodo post Pentecosten. Ita melius exprimeretur, omnem sanctitatem Sanctorum non esse nisi fractum redemptionis per Christum. Ipsi Sancti vero concreta exemplaria sanctitatis repraesentant, quae nobis propinquiora vel magis familiaria sunt quam exemplar Christi. Praestantiores inter eos insuper maiori solemnitate celebrantur, festa per vigiliam praeparantur et per octavam protrahuntur, ut ita idea huius festi firmius haereat in animo fidelium.

Sancti enim homines erant sicut et nos; sed etiam in Sanctorali semper persona Christi colitur, qui, auctor principalis sanctitatis Sanctorum, intuitive nos docet, omnem sanctitatem Sanctorum non esse nisi imaginem vel reflexum sanctitatis Christi.

c) *Caeremoniae denique et praecepta liturgica,* et ipsa proprium suum valorem instructivmn habent.

In Missa Pontificali v. g. plures caeremoniae nos docent *hierarchiam ecetesias'icam·,* in qua unus summum gradum obtinet: hinc thronus Episcopi vel eius cathedra, ubi stat vel sedet, si non est ad altare; ornamenta porro et insignia quibus induitur; ministri sacri qui vel ad eius latus, sed in gradu inferiore stant vel ad eius pedes sedent; maiestas et gravitas omnium actionum quas peragit: omnia haec docent, in Ecclesia hierarchiam esse quae plena gaudet potestate sacerdotali, Episcopum vero supremam possidere eumque etiam in cultu praesidere populo.

Praeceptum porro Ecclesiae est, ut *chorus* vel presbyterii locus in ecclesia sit separatus a navi ecclesiae, solis ministris accessibilis; ut porro Sacerdotes et ministri sacri in functionibus sacris peculiaribus induantur vestimentis, ut Sacerdos vel Pontifex praesideat Officio illudque regat et dirigat, ut ipse pronuntiet verba liturgica principaliora, praesertim « Pater noster», Orationes, ut det Benedictiones, etc. Per quae omnia Ecclesia vult demonstrare, tum hierarchiam, quae praesidet cultui, divinae esse institutionis, tum etiam Sacerdotes in tota Ecclesia Christi vice* et locum tenere.

Eundem characterem intuitivum deinde habent· omnes *ritus* qui adhibentur *ad cautum Euangelii:* minister iam per ordinem suum quem obtinuit specialem partem habet in sacerdotio Christi, Sacerdos enim vel saltem Diaconus est; liber Evangeliorum deinde incensatur, solemniter portatur, antecedentibus Acolythis cum lumine accenso, eique in fine osculum praebetur. Fideles stant ad cantum Evangelii versus librum: haec aliaque iam superficialiter id observanti ostendunt, libro Evangeliorum et ipso S. Evangelio exhiberi honorem, eo quod Christus ipse per verba S. Evangelii ncbiscum loquitur, ac proinde ipse magister est in Liturgia quotidiana, ipsam vero lectionem S, Evangelii esse iam sicut Christi praesentiam anticipatam.

Vel *ritus baptismales* per exorcismos, per usum aquae superfusae, per vestem albam, docent alta voce interiorem purificationem et renovationem. Vel *adoratio crucis* feria VI in Parasceve nonae docet mysterium redemptionis

et triumphi Christi! Quae et quanta instructio populi fit per ritus *maiorum benedictionum* vel cousacrationum monachorum, virginum, ecclesiarum, altarifim, etc., vel etiam luminum, cinerum, palmarum, aquae baptismatis etc.!

Secundum praeceptum aliquod lituigicum *Imagines* ℓ‹ *Reliquiae* Sanctorum velari debent, quotiescumque Sanctissimum Sacramentum exponitur. Quod manifeste docet, durante expositione Sanctissimi Sanctos locum venerationis cedere ipsi Sanctorum Regi, ac proinde attentioni m Fidelium ad Sanctissimum Sacramentum fixam es«e debere. Porro docetur expositionem Sanctissimi non esse aliquid quotidianum, sed potius aliquid extraordinarium; quis denique negabit, hoc praeceptum etiam impedire velle, cpiominus cultus Sanctorum nimis propagetur et statuae vel imagines Sanctorum in Ecclesia super modum et indiscrete augeantur eisque maior forsitan honcr exhibeatur quam ipsi Christo eiusque operi in altari celebrato!

Ecclesia ergo in Liturgia· sua non utitur subtilibus ratiociniis, definitionibus, vel formulis scholasticis, sed exemplis practicis, ex Sacra Scriptura vel ex usu quotidiano desumptis; signis utitur, rebus, imaginibus, typis, figuris, coloribus, cantu, musica, ornatu, etc., ut sic ad totum hominem, ad omnes eius facultates loquatur.

Et quo magis haec omnia alliciant sensus et exitent affectus, curat Ecclesia, ut omnia sint pulchra, i. e. imprimis munda ac nitida, et quoad fieri potest, pietiosa, artificiosa, ornata: pulchritudo enim Deum decet et hominis mentem ac cor efficacius movet. Unde omnes ministros hortatur, omnesque invitat *artes,* ut Deo Optimo Maximo glorificando certatim allaborent, ut nihil nisi grave ac religione et inaiostate plenum agatur; ut per dignam recitationem, per distinctam lectionem vel per proprium cantum aut selectam musicam, verba totam suam ,-ignificationem expressius acquirant; ut tandem ecclesia, altare, vasa sacra, indumenta sacerdotalia, totaque suppellex liturgica affabre et iuxta leges artis (1) conficiantur et ornentur. Nec aliud sane sub coelo est obiectum dignius ingenio et sollicito laboro artificis. Quot ceterum produxit amor Dei divinique cultus *opera magnifica* omnium generationum admiratione digna! (2).

Ideo, eadem intentione, ut scilicet Liturgia ad omnes hominis facultates loquatur, etiam variae periodi vitae Christi narrantur, facta quoque concreta, vel miracula; et haec in forma simplicis narrationis vel sub imagine parabolae proponuntur, ita ut phantasia audientium suaviter occupetur, attentio firmetur, et ita intelligentia

(1) Cfr. CIC can. 1164, 1 et 1296, 3 eorumque explicationem, in: Collationes Brugenses XXII (1922) 501 ss.

(2) Non neoligaxt igitur Sacerdotiis acquirere sufficientem notitiam arcuaeologiae et artis religiosae, et curent esse de illis viris, quos laudat Ecclesiasticus (44, 6): • Homines divites in virtute, *pulchritudinis studium habentes,* pacificantes in domibus suis ». Cfr. M. Festuglèrb, La liturgie catholique, p. 149-193: La liturgie et l'ésthétique; G. Jacob, I)lo Kunst Im Dienste der Ktrche (Landshut 190t); R. AlGRAIN. Liturgia (Paris 1931) p. 985-1031.

veritatum sive, dogmaticarum sive moralium facilitetur. *Virtutes* quoque exemplis potius docentur, parabolis, actibus et exercitiis practicis, quam definitionibus (1).

Praeterea, Liturgia in cyclo anni ecclesiastici quotannis praecipua mysteria et facta vitae Redemptoris nostri non simpliciter narrat, sed ut· ea miremur, gustemus, laudemus, *a)* ea nos sapere facit, *b)* eis nos praesentes sistit, c) eorum nos participes ostendit et reddit.

a) Vita et virtutes Christi ex Evangeliis non nude narrantur, sed gustanda nobis proponuntur, prout nempe cor Sponsae diuturna et affectuosa *contemplatione* penetravit et gustavit non solum facta externa, sed etiam intimos Dilecti sensus et affectus. Unde Liturgia exhibet nobis imaginem *vivam* Christi agentis, patientis, dolentis, amantis: unde facilius et profundius ad laudem, amorem et imitationem movemur. Facta interdum *dramatics* proponuntur, non mere historice narrantur, sicut fit v. g. in processione palmarum, ad «Mandatum Domini » feria V in Caena Domini, in lectione passionis hebdomade sancta, distributis partibus, in benedictione aquae baptismalis cum cereus paschalis aquae immergitur, aqua insufflatur, in IV partes dividitur, etc., in Antiphonis et Responsoriis Adventus, ad Laudes Nativitatis D. N. J. Chr. ubi pastores narrant, quae viderunt etc.

Mysteria deinde haud raro *lyrico affectu* celebrantur; pie legantur v. g. Responsoria Officii tenebrarum hebdomadae sanctae, Improperia in Parasceve, Sequentiae «Stabat Mater», «Dies irae», pulcherrima Responsoria et nonnulla Antiphonae in Adventu, vel tempore Passionis quae dicuntur ex ore Christi venientis, patientis, amantis etc. Ita Liturgia sacra nos facit ea sapere, vel gustanda proponit, quae celebramus cultu.

b) Porro Liturgia sacra nos hic et nunc praesentes sistit factis historicis vel fidei, nos spectatores facit et auditores. Vide v. g. Invitatorium ad initium Adventus: « Regem venturum Dominum, venite adoremus», postea: «Prope est iam Dominus», in Vigilia Nativitatis: «Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam eius»; tempore Nativitatis: « Christus natus est *nobis* », in octava Epiphaniae: «Christus apparuit *nobis»;* quoties in Adventu dicitur; «Veni!» in Vigilia Nativitatis: «Sanctificamini hodie et estote parati: quia die crastina videbitis Majestatem Dei in vobis », in Nativitate D. N. Introitus missae II et III: «Lux fulgebit hodie *super nos,* quia *natus est nobis* Dominus... » et « Puer natus est nobis, et Filius *datus est nobis ».* Ita permulta exempla currente anno liturgico inveniuntur, quae similiter nostram in cultu exprimunt participationem. In Paschate

(1) Cfr. quae supra ostensa sunt.

dicitur: « *Haec dies,* quam fecit Dominus ». Recole quam saepe Liturgia festorum repetat verbum *Hodie:* «Hodie occubuit», «Hodie ad coelum ascendit», «Hodie coronatus est», etc. Γη Credo Missae oramus: « Qui *propter nos et propter nostram salutem* descendit de coelis... crucifixus etiam pro nobis... ante Consecrationem in Missa petitui·: « Quam oblationem... ut *nobis* fiat Corpus et Sanguis Jesu Christi », etc.

In festo Omnium Sanctorum praesentes efficimur Liturgiae coelesti in Apocalypsi b. loannis descriptae, in festo Assumptionis B. Mariae Virginis fidei veritas pulcherrime describitur, similiter in festo Ascensionis Christi; et ita porro.

c) Immo Liturgia interdum mystice nos identifient cum personis, in quibus vel a quibus historice factum est, quod 'celebratur, et spiritualité!· in nobis renovat, quod illis de facto contigit. Tota enim celebratio festi dicit relationem ad sjpcialia mysteria, ut, testante Ecclesia, « imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur » (1).

Sicut enim continuo operatur nostra redemptio, ita per textus liturgicos incitamur, ut idem sentiamus quod Sancti, immo quod Christus. Hinc v. g. Orationes quas Sancti dixerunt, ex nostro ore tamquam nostra Oratio, nosterque affectus proferuntur, sicut v. g. Antiphonae in festo S. Agnetis, S. Agathae, S. Stephani, S. Petri etc. Dum in Evangelio legitur Magos ad adorandum neonatum Christum Regem se prostrasse vel in Evangelio de sanato caeco-nato ipsum cum prostratione Jesum tamquam Dei Filium adorasse, Rubrica praescribit, ut omnes praesentes ad haec verba genua flectant, in imitationem illorum fidei (2). Nam « quod semel factum in rebus veritas indicat, hoc saepius celebrandum in cordibus piis *solemnitas renovat* » (3).

Liturgia ostendit enim, mysteria vitae Redemptoris, historice peracta in Christo physico, spiritualité!' renovari in Christo mystico, quatenus Christus omnia pro nobis egit et nos, membra corporis sui, sibi associavit. Deus enim ϒ convivificavit nos in Christo... et eonresuscitavit nos et consedere fecit in caelestibus in Christo Jesu » (4); quam veritatem praeter S. Augustinum praesertim S. Leo Magnus saepius inculcat (5).

(1) Oratio in festo SS. Rosarii.

(2) Cfr. v. g. Evangelium in Epiphania D. N. et feriae IV p. Dominicam IV Quadrages, cum genuilexione a rubricis praescripta; benedictio et processio palmarum; Antiphonae et Responsoria in Vigilia Nativitatis; Secreta Dom. IX p. Pent; Postcomm. feriae VI infra oct. Paschae: Secreta Sabbato in albis; Exultet etc.

(3) Augustinus, Sermo 220 in Vigilia Paschae; cfr. etiam O. Casel, Das christllchc Kultmysterium (Regensburg 1932); Id., saepius in: .lahrbuch für Ltturgiewissenschaft (Münster 1921 ss.)

(I) Epii 2,5 sq.; cfr. Callewaert, I, 19 adnot. ad (20).

(5) V. g. Sermones do Nativ. 6,2; De Epiphania 6, 1; 7, 2; 8, 4; De Passione Domini 13, 3 etc..; cfr. Columba Marmion, Le Christ dans ses mystères (Moredsous 1922).

Ita contendere debemus in *Adventu,* ut per poenitentiam et bratione m et desideratam exspectationem purificentur et « excitentur corda nostra ad praeparandas Unigeniti Dei vias » (Orat. Dom. II Adv.), qui spiritaliter ad'animas nostras veniet; in Nativitate ut « adepti participationem generationis Christi carnis renuntiemus operibus » (lect. VI); in S. Paschate, ut « qui consurreximus cum Christo, quae sursum sunt quaeramus'» et « epulemur in azymis sinceritatis et veritatis »; in Ascensione, ut « ipsi quoque mente in coelestibus habitemus » (1).

C. Liturgia sacra in methodo sua instructiva *lente* denique progreditur, fragmentarie, progressive, continuative instruit in doctrina Christiana, partem post partem, saepe iterata repetitione; semel saltem in unoquoque anno proponit singulas veritates, easque cordis affectti fovet et gustat. Sub diversis quoque aspectibus ostendit eandem veritatem, in diversis circumstantiis. Ita studet « mentes Fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum... contemplationem excitare » (2). Continuo enim mentem a rebus terrenis et profanis avocat ut eam elevet ad superna et caelestia (3), et haec ita sensibus et intellectui proponit, ut appareant digna, sancta, concupiscibilia, et ut Fideles in corde excitent pia desideria, affectus sanctos.

Unde etiam apparet, Liturgiam non solum praebere optimam et amplissimam materiam meditationis, sed ipsam esse *omnis ora-*

(1) Convenit ergo, ut pari modo devotionem nostram erga jesum in SS. Eucharistia ordinemus IUXTA spiritum TEMPORUM anni liturgici. In Adventu exspectantes venturum Salvatorem, excitemus in compunctione *ardens desiderium S. Communionis,* ut ad eam nos praeparemus: « O Emmanuel, veni... veni et noli tardare... Sanctificamini hodie, et estote parati: quia die crastina videbitis maiestatem Dei in vobis... et auferet a vobis omnem languorem ». — A Nativitate ad Septuagesimam, *adorationi* praesertim iucumbere possumus: « venite *adoremus* Dominum » cum pastoribus, cum Magis, cum Angelis et hominibus omnibus quos invitat Liturgia ad adorationem. — A Septuagesima ad Pascha, cum Liturgia per ieiunium, orationem et eleemosynam quaerat nos purificare, et praeparare ad mysterium mortis et resurrectionis Christi, mortificatione *purificemus cor nostrum* ad Eucharistiam minus indigne conficiendam aut suscipiendam et intimius uniamus nos Christo *in sacrificio Missae.*— Tempore paschali *laetantens fruamur* divina praesentia et foveamus *unionem cum Christo:* « Haec est dies quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea... Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit ». — Post Pentecosten, satagamus ut « *in gratiarum actione semper manentes* » incumbamus acquirendis virtutibus, quae nobis hoc tempore in Evangeliis et Epistolis proponuntur: docent enim nos Postcommuniones, optimam gratiarum actionem consistere in eo, ut utamur accepto dono S. Communionis ad altiorem perfectionem obtinendam. Cfr. B. Baur, Werde Licht! 3 voll. (Freiburg i. Br. 1937; ital. Luce nell'anima), ubi singula Missarum formularia optime pro vita ascetica pro quolibet die anni liturgici explicantur. Item I. Schuster, Liber Sacramentorum, 9 voll. ed. 4 Torino 1928 ss; P. Parsch, Das Jahr des Heiles, Klosterneuburg 1932 ss; alii.

(2) Concilium Trident., Scss. 22 c. 5.

(3) Ideo tam frequens recurrit in Orationibus liturgicis fundamentalis haec oppositio inter *terrena et caelestia:* «terrena despicere et amare caelestia »; «prospera mundi despicere et caelesti semper consolatione gaudere »; « terrena desideria mitigantes discamus amare caelestia » etc.

tionis mentalis adiutricem efficacissimam et optimam populi Christiani educatricem. (1).

Praetera affectus religiosi, qui quasi sponte ex Liturgia nascuntur, crescunt ex ipsa eorum externa professione propter mutuum animae et corporis influxum. Tandem non raro decuplantur ex influxu multorum nobiscum in unum eosdem ritus exsequentium eademque sensa exprimentium (2).

Et cum Liturgia omnia agat in intima unione cum Ecclesia et cum Christo, nata est producere et nutrire in anima habitualem quamdam per Christum ad Deum orientationem, qua voluntas nostra inclinatur ad amorem invisibilium et ad actus Dei voluntati conformes, « ut semper rationabilia méditantes, quae Deo sunt placita, et dictis exsequamur et factis » (3).

Quem processum psychologicum identidem clare indicat ipsa Liturgia v. g. in oratione *Aperi* ante persolutionem Divini Officii (« intellectum illumina, affectum inflamma»); in hymno ad Matutinum feriae II item oratur: «Te *lingua* primum concinat, Te *mentis* ardor ambiat, Ut *actuum sequentium* Tu, Sancte, sis exordium ».

Ideo Episcopus ordinans Lectorem monet: « Vide, ut quod *ore* cantas, *corde* credas, et quod corde credis, *operibus* comprobes»; ad Presbyteros vero: *«Agnoscite,* quod *agitis,* » ait, « *imitamini,* quod tractatis: quatenus dominicae mortis mysterium celebrantes mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis ».

In qua conformitate voluntatis nostrae cum voluntate divina consistit vitae Christianae perfectio etiam non communis.

Merito ergo scribit Pius X Liturgiae « finem generalem esse gloriam Dei, sanctificationem et aedificationem fidelium » omnique labore nitendum esse ut reducantur fideles « ad primum ac necessarium spiritus christjani fontem ut inde hauriant verum spiritum Christianum active participando sacrosanctis mysteriis et publicae solemnique Ecclesiae orationi » (4).

(1) In lioo conveniunt omnes, quidquid denum sentiant singuli in ea quae certe nimis exarsit, controversia circa methodum instituendi orationem mentalem; de qua cfr. M. Festugière, La liturgie catholique p. 41 sq; R. P. Navatel in: Etudes 137 (1913) 449-476; L. Beaudvin, in: Questions Liturg. IV. 92 ssq; id., La Piété do l'église p. 65-82; Callewaert I. 43-47.

(2) Cfr. Card. Mercier, Aperçus psychologiques sur la participation des fidèles à la vie liturgiques, in: Questions Liturgiques I app. 4-11; Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romac 1940) p. 28 ss.

(3) Oratio Dominicae VI post Epiphaniam; cfr. Oratienem Dominicae IV et V post Pascham.

(4) Motu proprio de musica sacra, 22 Nov. 1903.

Caput IV.

Confirmatur auctoritas doctrinalis Liturgiae ab extrinseco.

Hucusque Liturgiam consideravimus in serie locorum theologicorum ut praecipuam partem traditionis ecclesiasticae et eius dogmaticam auctoritatem declaravimus. Nunc ab extrinseco confirmationes quasdam proferemus de praestantia Liturgiae sub respectu doctrinae supernaturalis.

§ 1. - *Ecclesia eximiam de Liturgia ordinanda et conservanda exhibet curam.*

Sicut ex praefatis clare eruitur, existât «intima quaedam necessitudo inter dogma et Liturgiam sacram, itemque inter cultum Christianum et populi sanctificationem », — « per (Liturgiam) enim ad Deum evehimur ipsique coniungimur, fidem nostram testamur·, nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus»; «cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur» (1); «sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur..., magnam christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem continent » (2), — «Ex his intelligitur, cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in Liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita Liturgiae sacrae leges ordinare, tueri, et ab omni adulte-

(1) Pius XI, Constitutio Apostolica « Divini cultus » d. 20.12.1928.
(2) Sixtus V, Bulla « Immensa » (1588).

ratione praeservare studuerint. Itemque patet, cur Sancti Patres Liturgiam sacram (seu supplicandi legem) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse Christiano populo exponendam et explicandam » (1).

Et primo quidem attendere oportet ad eximiam curam, quam iam a primis saeculis Ecclesia semper adhibuit, « ne quid fraude vel ignorantia in Liturgiam irriperet mysteriorum sanctitati, doctrinaeque veritati contrarium » (2).

Id quod patet ex multis variis et iam antiquis documentis.

Iam ab origine Ecclesiae observari potest tum .Romanos Pontifices tum etiam Concilia et praestantiores Episcopos de divino cultu ordinando atque integre custodiendo non tantum in Romana, sed etiam in aliis ecclesiis curam gessisse (3).

Anno 196 S. Victor I Papa « omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias, tamquam contraria rectae fidei sentientes, *a communione abscindere conatur* » (4), quia alio die « festum Paschae celebrandum ssse censebant », quam quo Romana Ecclesia celebrabat.

Sunt porro Summi Pontifices, qui iam saeculo IV ordinant altaris et ecclesiae dedicationem (Liberius Papa), divini officii recitationem (S. Damasus), s. Chrismatis consecrationem et usum in Baptismo (S. Sylvester) (5).

Anno 385 S. Siricius Papa gravissimis verbis invehit contra aliquos sacerdotes Hispaniae qui « libere ac « sola temeritate » aliquas novitates in cultum induxerant: « Hactenus erratum in hac parte sufficiat », ita conclusit: «nunc *praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicae Petrae,* super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, *soliditate develli »,* et: « nos...,catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit; a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si *non ruitis a nostra collegio, synodali sententia separari* » (6).

Celeberrima est sententia S. Siricii, in praefata epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum expressa, qua affirmat: « Catholicorum Episcoporum unam confessionem esse debere apostolica disciplina composuit. Si ergo una fides est, manere debet et una traditio. Si una traditio est, una debet disciplina

(1) Pius XI, Loco olt.

(2) Zaccaiua, Ibd. IV, 4.

(3) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico I. De legislatoribus liturgicis corumque potestate luris liturgici dioundi (Taurini-Romae 1939) p. 61-91; Io., Tractatus de iure liturgico II. De lege scripta et non scripta (Taurini-Romae 1939) p. 73-82; 111-112, 141-144; In., Tractatus de iure liturgico III. De libris liturgicis deque iure ex eis manante (Taurini-Romae 1940).

(4) Cfr. Eusebius, Historia ecclesiastica 5, 23 ss. (PG 20, 493 ss.).

(5) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico II p. 60 s.

(0) P. Coustant, Epistolae Romanorum Pontificum, p. 624 s.; cfr. p. 629, 691 s.

per oinnes ecclesias custodiri» (1). Quae verba iam non obscure praenuntiabant subsecuturam Romanorum Pontificum sollicitudinem de Liturgiae unitate, quam primum quidem generali exhortatione, postea vero lege generali in Ecclesia Latina Romana constituebant, quamque Concilia iterum iterumque ministris Ecclesiae in memoriam revocare debebant.

Paulo post S. Siricium Concilium Laodicense (343-381) decrevit (2): « *Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares in ecclesiis dici... nihil a plebe editum legatur in Ecclesia* ».

Concilium Hipponense (a. 393) can. 21 statuit: «Nemo in precibus vel Patrem pro Filio vel Filium pro Patre nominet; et cum altari assistitur semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque *preces* aliunde describit, *non* eis *utatur nisi* prius *eas cum instructioribus fratribus contulerit*» (3).

In Synodo Milevitano (a. 402) legitur: « Placuit etiam et illud, ut preces vel *orationes,* seu missae *probatae fuerint in concilio,* sive praefationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, *nec aliae omnino contra fidem praeferantur,* sed quaecumque a prudentioribus fuerint collecta dicantur » (4).

Similiter antea Concilium Carthaginiense II (a. 397) can. 23 decreverat.

Anno 416, S. Innocentius I, in celeberrima epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum (5), ad varia disciplinae statuta, quae omnia citari deberent, quia sat superque ostendunt, quales fuerint iam illo tempore intentiones Summorum Pontificum, gravissima haec verba addidit, quae ostendunt plenam conscientiam auctoritatis apostolicae: «Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc aestimet esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; at fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas, humana praesumptione corruptas, putent sibi aut ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus deberi servari, nec superduci aut intro-

ii) Ibd. p. 692.

(2) Can. 59 (Mansi II, 590).

(3) Collectio canonum Ecclesiae Hispanae (Madrid 1908), col. 9G3, cfr. DTO « Liturgie, 2«.

(4) Can. 103 (Mansi III, 807); Codex canonum Ecclesiae Africanae (Madrid 1908) col. 185.

(5) PL 59, 399-108 = P. Coustant, Epistolae Romanorum Pontificum, praesertim p. 855. PL 20, 551 8.

duci aliquid quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum ».

Pergit deinde: «Praesertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniae, Africam atque Siciliam et insulas interiacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolus invenitur aut legitur docuisse. Qui non si legunt, quia nusquam inveniunt, *oportet* eos *hoc sequi, quod Ecclesia Eomar.a custodit,* a qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere ».

S. Innocentius ergo sibi persuasum habet omnes enumeratas ecclesias observare debere regulas et consuetudines Ecclesiae Romanae, et, ut in sequentibus apertius proponit, sufficere « cognovisse quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in caeteris agendis arcanis teneat », ac proinde vult ut sibi indicentur, « qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiae quam Romanae existimant consuetudinem esse servandam ».

In pluribus aliis quoque dispositionibus Sacram Liturgiam spectantibus — si exponit v. g. Victricio Episcopo Rothomagcnsi suam opinionem de baptismo haereticorum, (a. 404) (1), vel Exuperio Episcopo Tolosano de reconciliatione in articulo mortis (2) et extra mortis periculum (3) — se ostendit omnino tamquam magistrum et caput Ecclesiae, qui ubique terrarum in ecclesiis, etiam dissitis et lontanis, de rebus Liturgiam spectantibus ordinat atque praecipit, ubique de fidei integritate vigilat in Liturgia depositae.

Vergente saeculo IV ergo ordo cultus divini, prout Romae celebrabatur, non tantum apud plures populos notus erat, sed a multis ecclesiis, iis praesertim, quae a Romana conditae erant, iam ab origine acceptus erat: numerosae peregrinationes ad Urbem, in patriam reversae, eum aliis ecclesiis tamquam typum et exemplar commendabant, missionarii ab Urbe missi eiim secum portabant ac divulgabant. Ipsum ritum, prout Romae celebrabatur·, paucis annis ante S. Innocentium I, S. Siricius Fapa (t 399) in epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum Hispanis ut normam sequendam proposuerat (4), et propter unam eandemque fidem, quam tenebant, unam etiam disciplinam per omnes ecclesias esse custodiendam ad-

ii) P. Coustant, Ibd. p. 752 A; MANSI III, 1031 D; PL 20, 475 B.

(2) P. Coustant; Ibd. p. 792 B; Mansi III, 1039 C; PL 20, 498.

(3) C. Kirch, Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae (ed. 4, Friburgi Br. 1923) n. 727.

(4) PL 13, 1136.

diderat (1). Qua de causa cauon Missae, et ordo Baptismi, ordo quoque Divini Officii, prout tunc temporis celebrabatur, a multis ecclesiis accepti erant. Hoc autem factum esse propter auctoritatem Romanae* Ecclesiae et Antistitis eam regentis nemo est qui non videat.

Post S. Innocentium I, alii Romani Pontifices in eundem sensum scripsisse reperiuntur. «S'. *Gelasius 1* (492-496) secundum chronicam Pontificum, ipse «fecit et hymnos... et sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone » (2), quae postea cum eiusdem Liturgia in universum orbem transierunt.

Anno 538 *Vigilius* Papa Profuturo episcopo Bracarensi celebrem misit epistolam, qua ei indicat ritum et modum romanum baptizandi et celebrandi, eo scopo, ut unitatem saltem in formulis essentialibus in variis ecclesiis vel obtineret vel augeret (3). Scripsit inter alia:

« Quoties Pasehatis aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes et Epiphaniae Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctae solemnitatis aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus; caetera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicae precis textum direximus subter adiectum quem DeO propitio ex apostolica traditione suscepimus ».

S. Caesarius Arelatensis (f 543) homilias Patrum collegit, « ut *nihil nisi pietati coneHiandae aptum in ecclesia legeretur* » (4).

Eodem saeculo Concilium Braearense III (a. 573) decrevit (5): « Placuit, ut, *per singulas Ecclesias, episcopi* per dioeceses ambulantes *primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel Missarum, et qualiter quaecumque officia in Ecclesia peragantur* ».

Ne falsitates .aut fabulae in liturgicos textus irriperent, iussit Synodus Trullana (a. 692), comburi « quae a veritatis hostibus *falsae* confictae sunt *martyrum historiae,* ut Dei martyres ignominia afficerent et qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent; *in ecclesia non publicari iubemus, sed eas igni tradi; qui eas admittunt, anathematizamus* » (6).

Particularis momenti sunt ordinationes liturgicae »S'. *Gregorii Magni* (7), qui non tantum Graduale et Antiphonarium noviter re-

ti) p. Constant, Ibd. p. 692.
(2) Liber Pontificalis *I, 255* Duchbbne.
(3) Epistolae decretales ac rescripta Romanorum Pontificum (Madrid 1821) p. 155.
(4) Vita S. Caesari! I, 31.
(5) Mansi IX, 538.
(6) Can. 63 (Mansi XI, 971).
(7) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico I (Taurini-Romae 1939) p. 74 ss. B. Capblle, La main de Saint Grégoire dans le Sacramentaire grégorien => Revue Bénédictine 49 (1937) p, 13-28.

degit, Sacramentarium quoque revisit, abbreviando vel eliminando quae in ritibus et textibus magis accidentalia vel inepta spectabant vel actualibus indigentiis et necessitatibus adaptata non erant, sed suas ordinationes et reformationes etiam aliis ecclesiis et regionibus imposuit, non obstante ut videtur interdum gravissima resistentia. Eius auctoritas in ordinanda Liturgia etiam a pluribus Episcopis expressis verbis agnoscitur: S. Leander Hispalensis episcopus ab eo petiit decisionem in quaestione de unica vel triplici immersione in Baptismo (1); Uavennatensium Archiepiscopus, cuius presbyteris et diaconis privilegium gestandi mappulas interdixerat, praeclaram hanc sententiam rescripsit memoratu dignam: « Quibus ausibus ego Sanctissimae illi Sedi, quae universali Ecclesiae iura sua transmittit, praesumpserim obviare? » (2).

Indefessa erat cura Summorum Pontificum saeculis subsequentibus de Liturgia propaganda et custodienda. Anno 760 Pippinus Francorum rex a Paulo I accepit Antiphonarium et Responsoriale Romanum; a. 788 Hadrianus I misit Carolo Magno petenti Sacramentarium Gregorianum tunc Romae, in usum, ut illud imponeret toti imperio Germanico, et ita cum libro Ecclesiae liturgico etiam fidem Ecclesiae.

Celebris est epistola *Leonis PP. IV* (847-855) ad Honoratum abbatem de monodia gregoriana fideliter sectanda, in qua inter alia gravissima verba haec inveniuntur: « *Deposco ne ab hac summo religionis capite Ecclesia,* a qua nullus exorbitare vult, vel a tantis praefatis ecclesiis *dissentire pariamini,* si ex toto pacem et concordiam universalis Ecclesiae habere diligitis. Nam si, quod non credimus, in tantum doctrinam nostram et traditionem nostri sancti praesulis exorrescitis, ut non per cuncta in cantilenis et lectionibus ritum nostrum sequamini, scitote, quod *vos a nostra communione repellemus,* quoniam convenit vos ea sequi salubriter, quae Romana Ecclesia, mater omnium et magistra vestra non spernit, sed appetit, atque indissolubiliter tenet ». Nam *si* quod minime credimus, *in alteram vos tradicionem* praeter hanc quam vobis praesentibus vel futuris peragendam duximus *reducere vel declinare quocumque modo conatus guis fuerit, non solum a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi eum fore praecipimus, verum in perpetuo anathemate mansurum* ob suae praesumptionis audaciam *nostro immo et omnium antecessorum nostrorum auctoritate sancimus* » (3).

(1) PL 77, 497 s.
(2) PL 77, 653 ss.
(3) Ph. Oppenheim, Ibd. p. 80 s.

Quae verba tantopere gravia aliter explicari nequeunt, nisi admittatur maxima Summi Pontificis cura de obtinenda et conservanda unitate cultus. Cui rei consonant alia plurima documenta tum Summorum Pontificum tum etiam Conciliorum et Synodorum, necnon praestantissimorum quorumque virorum ecclesiasticorum tum ante Concilium Tridentium, tum praesertim post eiusdem Concilii celebrationem.

Hinc ad sequiora tempora si deveniamus, Sedem Apostolicam magis ac magis huic de re liturgica negotio incumbentem invenimus: ita ut eam demum sibi totam quoad occidentales simul et orientales ecclesias reservet.

N. *Gregorius* ***VII*** (1073-1085) in Hispania Liturgiam mozarabicam suppressit, qui Adoptianorum errores videbatur continere.

Alexander ***III*** (1159-1181) beatificationis et canonizationis causas Sedi Apostolicae in posterum reservatas declaravit, ne praemature et in damnum fidei fierent.

Innocentius ***III*** (1198-1216) Officium « secundum consuetudinem curiae papalis » stabilivit, « in melius correxit et ordinavit, et de suo addidit et de alieno dempsit » (1).

Clemens ***IV*** (1265-1268) liturgiam Dominicanorum (Fratrum Praedicatorum) ita detenninavit, ut iam in nulla re possit absque Romani Pontificis auctoritate immutari.

Novi post S. Franciscum Assisiensem religiosorum ordines Romanae liturgiae mancipantur, quorum officium divinum « secundum consuetudinem Ecclesiae Romanae » nuncupatum *Nicolaus* ***III*** (1277-1280) omnibus Urbis ecclesiis imposuit.

Gregorius ***IX*** *(1227-1241)* clericis maioribus et minoribus « districte » praecepit, « in virtute oboedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum... studiose celebrent pariter et devote » (2).

Joannes ***XXII,*** in celebri Constitutione «Docta SS. Patrum» a. 1324-25, abusus illius temporis quoad cantum ecclesiasticum et musicam sacram reprobavit: nihil contineant, quod a spiritu Liturgiae sit quomodocumque alienum, sed potius eiusdem finem adiuvent et foveant (3).

Tempore praesertim Protestantium Summi Pontifices toti in eo erant, ut Liturgiam tamquam sacrum depositum custodirent ac defenderent.

(1) Fr. Salimbene, Chronica (ad a. 1215).
(2) Concilium Lateranense IV c. 17.
(3) Cfr. A. Gastoué, La musique à Avignon et dans le domptât du XIV au XVIII siècle (Torino 1904); U. Sesini, Decadenze e restaurazione del canto liturgico (Milano 1933) 48 se.

Saepius Ecclesia decretis Conciliorum, et aliter, vetuit, ne ritus in adminisfratione Sacramentorum vel in caeremoniis Missae contemnerentur, omitterentur aut mutarentur (1), ut abundanter patet, inter multa, ex Conciliis Constantiensi (1414-1418) et Tridentino (1545-1563), necnon ex praescripto Codicis luris Canonici (can. 818). In specie Concilium Tridentinum condemnavit et anathematizavit cos, qui dicunt in Canone Missae esse errorem ac proinde ipsum abrogari debere.

Accedit cura *Summorum Pontificum,* quae praecipua est, postquam cum S. Pio V tota legislatio liturgica reservata est Sedi Apostolicae. Ipsi enim Summi Pontifices libros liturgicos, in quibus manifestatur iides Ecclesiae, imponunt « ex plenitudine auctoritatis » vel « potestatis Apostolicae », ut aiunt, « in virtute sanctae oboedientiae » « omnibus ad quos spectant, vel in futurum spectabunt », ea adnexa obligatione, ut, aliis libris, qui interdicuntur, utentes, muneri suo peragendo « non satisfaciant ».

Ipsos libros edunt *editione typica,* quo modo agendi curant, ne quid in eis mutetur, addatur, deleatur, sed ut integri conserventur. *Poenas gravissimas* insuper illis infligunt, qui, inconsulta S. Sede, aliquid in libris liturgicis mutare, addere, omittere praesumunt. Ex verbis in ipsis Bullis Pontificiis, libris liturgicis praefixis, plane elucet, quanti aestiment et quomodo curent Summi Pontifices de libris liturgicis. En, quaedam exempla!

« Divini officii formula, pie olim ac sapienter a Suminis Pontificibus, praesertim Gelasio ac Gregorio primis constitute, a Gregorio autem septimo reformata», scripsit S. *Pius V,* «cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa est, quae ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim praeclaram veteris breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alii incertis et advenis quibusdam commutatam deformarunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepserat prava illa, consuetudo, ut episcopi in ecclesiis, quae ab initio communiter cum caeteris veteri Romano more horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula, preces ac laudes adhibendi, dissimillimo inter se ac pene cuiusque episcopatus proprio officio discerperent » (2).

Qua de causa *Paulus IV,* motus insuper a Protestantium impetu in sacros Ecclesiae ritus et caeremonias, expurgatam et ad pristinum morem et institutum redactam librorum liturgiconnn editionem parabat; tandem *S. Pius V* anno 1568 Breviarium reformatum, et duobus

(1) Cfr. Dexzinger-Bannavart, Enchiridion Symbolorum, Index systcmaticus XT. Kitils Ecclesiae.

(2) Pius V, Bulla « Quod a nobis ».

annis post etiam Missale promulgare ac toti Occidenti iniungere potuit: quo actu coepit aliquid omnino novum in Ecclesia; totum nunc ius liturgicum vigens in Ecclesia ex eo perpendendum atque determinandum est: dum enim Summus Pontifex promulgat libros liturgicos in Ecclesia adhibendos, Ordinariis omne ius adimit aliquid addendi vel immutandi: ne minimas quidem additiones vel mutationes inserere ulterius licet Episcopis, nisi accedente expressa Sanctae Sedis licentia et formularum approbatione.

Uniusmodi autem reservat,io in respectives bullis S. Pii V ita claris terminis expressa est, ut nulli ambiguitati pateat locus; dicitur enim ibidem: quoad breviarium: «Statuentes breviarium, ipsum nullo unquam tempore vel in totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse... », et idem quoad missale: « Ac huic missali nostro nuper edito, nihil unquam addendum, detrahendum aut immutandum decernendo, sub indignationis nostrae poena, statuimus et ordinamus ».

Similiter fecerunt post S. Pium V alii Pontilic.es quoad alios libros liturgicos: a. 1584, *Gregorius XIII,* Brevi Apostolico «Emendato iam » universis ecclesiis latinis imposuit Martyrologium Romanum, et quidem absque exceptione; a. 1596, *Clemens VIII,* Brevi Apostolico «Ex quo in Ecclesia», d. 10 febr. 1596, Pontificale Romanum eo modo omnibus in orbe munera pontificalia celebrantibus iniunxit, ut nemo « ex eis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere » posset. Idem Pontifex Brevi Apostolico «Cum novissime» diei 14 iulii 1600, « omnibus et singulis personis ad quas spectat vel in futurum spectabit » iisdem sanctionibus imposuit etiam promulgatum a se Caeremoniale Episcoporum. *Paulus V* addidit *a.* 1614 Rituale Romanum, quod continet probatos Ecclesiae ritus, qui « ubique servari debent ». *Urbanus VIII* postquam praescripsit unicum usum hymnorum a se promulgatorum, a. 1623 proposuit Octavarium Romanum. Anno 1725 iussu *Benedicti XIII* editum est Memoriale Rituum, annis 1905-1911 iussu *Pii X* libri sacri cantus, et a. 1911 nova dispositio psalterii. Ita Summi Pontiûces per seipsos typica editione ediderunt post 8. Pium V varios libros liturgicos, vel recognitos iterum promulgari curaverunt, et hoc non tantum pro ecclesiis latinis, verum etiam ecclesiis orientalium suas Liturgias, iam a nullo, praeter Sedis Apostolicae veniam immutandas imposuerunt, ita, ut appareat maxima Summorum Pontificum cura de Liturgia integre conservanda (1).

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico I (Taurini-Romae 1939) p. 85-98; II p. 7G-8O: IIT (1940) p. 205-300.

Praedictos libros liturgicos (reformatos) Ecclesiae Latinae-Romanae assumendi gravissima obligatione tenentur omnes et singulae ecclesiae ritus Romani, iis solis exceptis quae ex ipsius Romani Pontificis auctoritate excipiuntur ac utuntur de iure aliis libris ritus sive veteris Romani seu autepiani, sive non-romani.

Quae gravis obligatio aperte colligitur:

1) *ex ipsa materia* quae profecto gravissima est: agitur nempe de summis quae habet Ecclesia officiis et mysteriis, de celebratione scilicet· Missae, de confectione et administratione Sacramentorum et Sacramentaliu.ni, de persolvenda laude divina;

2) *ex gravi momento* quod *pro unitate Ecclesiae* obtinent uniformitas in cultu et oboedientia erga S. Sedem;

3) *ex gravissimis verbis,* quibus *Romani Pontifices* in suis Constitutionibus singulis libris liturgicis praemissis utuntur, praesertim in Bullis S. Pii V, Clementis VIII, Urbani VIII, Innocentii X, Benedicti XIII, Pii X, aliorumque.

Hinc, ut exempla alleram: Baliae S. Pii V breviarium et missale ab ipso promulgatum praecepto gravissimo et proprio dicto obligatorium reddiderunt: ipse enim iubet « omnes et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopus, Abbates et ceteros ecclesiarum praelatos » ut breviarium et missale introducant « in omnibus Christiani orbis provinciarum patriarchalibus, cathedralibus et parochialibus, saecularibus et... regularibus ecclesiis vel capellis». Lex Pianaergo fuit universalis seu generalis. Et fuit praeceptum proprie dictum: omnes enim praedictos, ait, « iubemus... ut omissis quae sic supressimus et abolevimus » « breviarium hoc ir. suis ecclesiis quisque... introducant ». Nec minus expresse circa missale idem decernitur; dicit enim: « *Mandantes ac districte omnibus et singulis... in virtute sanctae oboedientiae praecipientes,* ut, ceteris... omissis ac plane reiectis, missam iuxta ritum, modum ac normam, quae per hoc missale a nobis traditur, decantent ac legant ». Quoad breviarium insuper decernitur, *neminem* ad quem spectare, *alia formula satisfacere posse obligationi suae,* nisi adhibita forma in hoc breviario praescripta.

Cum Bulla « Superni », quacuin idem S. Pius V officium B. M, V. introducit, «motu proprio et ex certa scientia, ac *de Apostolicae potestatis plenitudine, officia guaecumgue... tollimus et abolemus...* Statuentes huic nostro officio nuper edito, nihil unquam tempore per quemcumque, quavis auctoritate fungentem, quevis praetextu, addi, detrahi vel immutari debere. Ac *omnes et singulos* qui ipsum B. Mariae officium dicere... tenentur, ex huius nostri Romani officii praescripto et ratione, ad id *omnino obligatos esse, et neminem muneri suo nisi hac forma, satisfacere posse...* Non obstantibus in quibusvis synodalibus, provincialibus vel universalibus conciliis editis constitutionibus ».

Gregorius XIII, Btdla « Emendato iam », Martyrologium Romanum his verbis obligatorium fecit: « *Mandamus* igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus sive saecularibus sive regularibus quibuscumque praefectis, *ut* in

peragendo divino in choro officio, *omni alio marlyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta* ». Clemens VIII Caeremonialo Episcoporum « *de Apostolicae potestatis plenitudine*» promulgavit «illudqne in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse » praecepit et mandavit. « Ac Caerimoniale huiusmodi sic emendatum et reformatum *nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quas cumque personas* praedictas quae sacerdotalia mimera exercere aut alia quaecumque in ipso Caeremoniali contenta facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et praestanda *iuxta huius Caeremonidlis formam et praescriptum teneri neminemque* ex iis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum exsistit, *nisi formulis quae hoc Caeremoniali continentur servatis satisfacere posse,* perpetuo statuimus et ordinamus... Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis ».

In editione Ritualis Romani Paulus V omnes ad quos spectat, « in Domino » hortatur, « ut in posterum *tamquam Ecclesiae Romanae filii eiusdem Ecclesiae, omnium matris et magistrae, auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti,* quae catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, *inviolate observent* »... Non aliter res se habet quoad Pontificale Romanum, de quo Clemens VIII, in bulla « Ex quo » sic statuit: « *Ut* autem ipsius operis labor finem eum ob quem est susceptus, sortiatur, atque posthac *in omnibus et singulis ecclesiis uno eodem modo caeremoniae et ritus pontificales observentur,* motu proprio et ex certa «cientia ac de apostolicae potestatis plenitudine *omnia et singula pontificalia in* /iimic *usque diem* in quibuscumque terrarum orbis partibus *impressa et approbata... supprimimus et abolemus, eorum usum* in posterum universis ecclesiis... caeterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus utriusque sexus *interdicimus et prohibemus; et hoc nostrum pontificale...* iu omnibus universi terrarum orbis ecclesiis,... etiam exemptis... *recipi et observari praecipimus.* Statuentes *pontificale praedictum nullo umquam tempore in toto vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum aut omnino detrahendum esse;* ac quascumque personas quae pontificalia munera exercere, vel alias quae in dicto pontificali continentur facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et praestanda, ex huius pontificalis praescripto et ratione teneri; neminemque ex eis... nisi formulis quae hoc ipso pontificali continentur, servatis satisfacere posse ».

Urbanus VIII promulgavit et obligatorium praecepit usum hymnorum a se correctorum « de apostolicae potestatis plenitudine » « in omnibus et singulis... ecclesiis », ut « praedicti hymni... non autem amplius antiqui... recitentur ac decantentur ».

Similiter in aliis constitutionibus alii Pontifices dixerunt, ex quibun omnibus facile colligitur, qua intentione, quove animo Romani Pontifices libros liturgico.- vel eorundem partes clericis observandos imposuerunt.

Textus librorum liturgicorum omnino incorrupte, integre ac immutate servari debent, et hoc quoad rubricas, textus omnes, et notas musicas, ne paulatim menda et abusus in ipsam Liturgiam sacram

inducantur, quod noceret non tantum devotioni ministri attente ea legentis et populi id audientis et intehigentis, sed praecipue integritati fidei et morum, quae in textibus et ritibus exprimuntur.

Ad obtinendum praefatum finem:

1) *Sedes Apostolica quamlibet mutationem sibi reservavit,* imo etiam *ipsa* admodum considerate et *aegre tantum aliquid addit vel mutat* (1).

2) *Sub severis poenis canonicis omnes, etiam episcopi, prohibentur, ne quidquam addant, demant, vel quocumque modo immutent in libris liturgicis.*

3) Item sub poenis et censuris praecipitur, ne typographi sine facultate et approbatione ab Ordinariis locorum accepta libros liturgicos imprimant, qua in re episcoporum conscientia oneratur, poenis canonicis non exceptis.

4) Usus librorum qui ab editionibus authenticis differunt, interdicitur.

5) Tempore recentiore editiones typicae publicatae sunt (2), quae adhibendae sunt sive ipsae sive ad eorum instar diligentissime approbatae.

6) Tandem Codex luris Canonici, can. 1257, clare rem proponit et auctoritatem Sanctae Sedis confirmat his verbis: «Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare Liturgiam, tum liturgicos approbare libros ».

Inter alia plurima haec tantum attulimus, quibus manifestatur continua Ecclesiae sollicitudo et eximia cura ad servandam, in Liturgiae textibus, omnimode veritatis integritatem.

§2. - *Quando apud aliquam societatem corrumpitur fides, error tendit ad invadendam Liturgiam: nituntur haeretici vel impugnare textus et ritus Ecclesiae, vel eos corrumpere, vel mediante Liturgia propagare suas haereses: quos conatus Ecclesia condemnat* (3).

Liturgiam exprimere fidem demonstratur etiam ex nisibus haereticorum corrumpendi textus Liturgiae ecclesiasticae; nam etiam haeretici et novatores agnoverunt Liturgiam inter et fidem verum

(1) Cfr. SRC decr. generale 3103, 3168.

(2) Cfr. Constitutiones Pontificias in ipsis libris liturgicis excussas; Leo XIII, Const. Apost. ▮ Officiorum ac munerum ·, 25 Jan. 1897 n. 18,41; CIC can. 1257; 1390; 1399, 10; SHC decr. gen. 2716.

(3) Cfr. J. Bona, Rerum liturgicaram libri duo, I, cap. 7 § 2; D. M. Bouix, Tractatus do hu-e liturgico (ed. 3, Parisiis 1873) p. 18-20.

esse nexum. Quapropter Liturgiam catholicam vel impugnabant vel corrumpere suisque erroribus accommodare, volebant: id quod historice constat inde a Gnosticis et Arianis usque ad Protestantes, Gallicanos, Veteres Catholicos novissimosque novatores. Immo «sectariorum hoc proprium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque rituales vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate eos mutarent» (1). Et pleno iure: nam cum Liturgia totam fere soleat exprimere religionis seu fidei doctrinam, statim ac apud aliquem populum fit lapsus a vera doctrina ad errores, Liturgia hucusque adhibita hoc ipso reperitur novae doctrinae contraria. Unde populus noviter inductorum errorum sequax, ne sibi contradicat, necessario cogitur, ut Liturgiam ipsam ad normam novi sui dogmatis immutet. Ed enim est hominum natura, ut moraliter certum sit, mutata religionis doctrina, Liturgiam mutationi contradicentem non diu retineri. Potest quidem aliqua particularis ecclesia catholica, quin a fide deficiat, Liturgiam suam in aliam mutare pariter orthodoxam et eadem dogmata exprimentem; atvero haeresis nequit eam servare, quam nascendo vigentem invenit: quia ista, utpote haeresi anterior, catholica est et haeresi contraria; unde haeretici coguntur novam sibi conflare et novitatibus suis accomodare.

Unde iam a priori et antequam historia haeresium scientifice sit reserata, certo affirmari potest, quamlibet sectam, postquam a centro unitatis et a recta fide defecit, a Liturgia etiam hucusque solita recessisse, et ad diversam noviter conflatam migrasse. Id vero semper de facto evenisse et haereticos, ne ad admittenda fidei catholicae dogmata cogerentur, usus et textus liturgicos vel mutasse vel etiam falsilicasse, testantur haud pauca monumenta historica.

Iam Valentinus gnosticus tempore Tertulliani composuit hymmos, ut ita suam doctrinam in Ecclesiam subintroduceret (2).

S. Cyprianus haereticos et schismaticos sui aevi arguit, de eo, quod aliam Liturgiam inducerent, ut ita facilius suos errores insinuarent, et quod unitatem Ecclesiae disrumperent, aliud altare, in quo unitas Ecclesiae symbolice repraesentatur et sacris mysteriis semper incolumis ienovatur (3), constituendo; queritur enim: « Constituere audent aliud altare, *precem alteram illicitis verbis facere* » (4).

Quid ausi sunt in hoc genere Gnostici, Adamitae, Pepuziani, aliique ex primis haereticis, turpe est enarrare: Adamitae v. g. ut propagerent ipsorum

(1) Bona, Ibd.

(2) Tertvi.uanus, De carne Christi 4, 17.

(3) Cfr. Orationem Dedicationis Ecciesiac. In MDsa enim omnes fideles semper, habituaiiter saltem, simul coofferunt et coofferuntur (cfr Ph. oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales, Taurinl-Romae 1941, p. 1S8-207), et quaelibet Missa semper quotidianum sacrificium Ecclesiae universalis est in quo Christus cum Ecclesia sua et pro ea sese offert.

(4) S. CVPBIAXVS, De unitate Ecclesiae, p. 83.

dogma de incolumitate naturae humanae, nuditatis ritus in cultum introduxerunt.

Paulus Samosatenus, ut divinitatem Christi .Tesu arceret, *mutavit* omnes illas *orationes Missae,* ex quibus deitas Christi comprobatur et hymnos quoque *christologicos a Liturgia amovit,* et alios a seipso compositos usurpari praecepit (1). Etiam Arius mutavit lituigieas orationes, quae suis doctrinis contradicebant; tempore S. Chrysostomi ariani Constantinopoli cantabant adhuc hymnos in quibus SS. Trinitatem blasphemabant. (2). Eutychiani commixtionem in Missa adulterabant, quae duas in Christo naturas significat; immo Armeni guttam aquae in calicem immittere negligunt (3) eadem ratione ducti.

De Nestorio, sive de Theodoro Mopsnestcno, eius magistro, Leontius Byzantinus scribit ita (4): « Audet et aliud malum non secundum ad superiora: *aliam* enim *missam* effutivit, praeter illam, quae a Patribus tradita est ecclesiis; neque reveritus illam Apostolorum, nec illam Magni Basilii in eodem spiritu conscriptam; in qua missa blaspbemiis, non precationibus, Eucharistiae mysterium opplevit ». De cetero Nestoriani orthodoxiam servare contendentes, nullam additionem aut mutationem a „aeculo V admittere statuerunt, orationes vero Missae, quae eorum doctrinae contrariae esse videbantur, mutabant.

Unde scribit P. Perrone (5): « Exploratum est veteres haereticos Nestorianos, Eutychianos, aliosque sectarios in articulis, in quibus ab Ecelesia catholica dissentiebant, Liturgiam corrupisse ac interpolasse, eam accommodantes erroribus suis; quo factum est, ut in reprehensionem ob hujusmodi nefarium ausum apud veteres incurrerint ».

Graecorum error de processione Spiritus Sancti ex solo Patre eo confirmabatur, quod in Liturgiam celebre in symbolo additamentum « Filioque » non assumptum est.

Donatistae, ut catholicis calumniam struerent, sparserunt in vulgus eos immutasse solitum sacrificii ritum, ut patet ex Optato Milevitano dicente (6): « Nihil probavit adspectus ex iis. quibus perturbatus erat auditus. Visa est purita», et ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. Cum viderent divinis Sacrificiis nec mutatum quidqnam, nec additum, nec ablatum, pax a Deo commendata volentibus est ».

Graeci schismatici schismate facto delebant nomen Papae ex libris liturgicis. Qui negabant divinam maternitatem beatissimae Virginis, numquam eam in cultu hoc, titulo « Dei Genitricis » honoraverunt.

Notissima sunt, ut alia transeam, exempla ex tempore Protestantimn, qui mox wtw *sibi composuerunt libros liturgicos* eosque usque

(1) Eusebius, Historia ecclesiastica 7, 30 (PG 20, 713).
(2) Cfr. Sozomenos, Historia ecclesiastica 8, 8.
(3) P. Renaudin, De auctoritate sacrae Liturgiae iu rebus fidei, p. 52 sq.
(1) Leontius Byzantinus, Adversus Nestorium lib. III.
(5) P. Perbone, L. o. p. 507.
(8) Optatus Milbvitaxus, Contra Donatlstas lib. III. iu fine.

ad. nostros dies semper mutaverunt, ut ita eos novis suis doctrinis adaptarent. Etiam Jansenistae mutatione Liturgiae errores suos confirmare studebant: ita a. 1736 ediderunt hoc sensu Breviarium Parisiense. Anglicani vero tamquam proprium librum liturgicum sibi confecerunt qui dicitur Common Prayer Book eoque utuntur.

Unum saltem *exemplum* promatur, quod recolit initia *schismatis Anglicae* (1). Statim ac in ea regione *fides de reali Christi in sanctissimo Eucharistiae sacramento praesentia* coepit obscurari, iam intolerabilis visa est Liturgiae Romanae in dicti sacramenti administratione formula: «Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam ». Nec etiam ferri potuit antiquissima quae tot saeculis apud Orientem viguerat formula: «Corpus Christi»; ad quae verba communicantes respondebant: « Amen ». Eae scilicet voces nimis aperte exprimebant transubstantiationis dogma, quod sub Eduardo VI a multis reiiciebatur. Atvero cum etiam non pauci adhuc idem dogma firmiter retinerent, *ut cunctis satisfieret, excogitari debuit formula, ita, quoad sensum indeterminata, ut utraque pars eam aeque in sensum suum trahere posset.* Talis formula reperitur in prima editione, anni scilicet 1547, hoc modo.· « Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam aeternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi, qui pro te effusus est, custodiat animam tuam in vitam aeternam ». Praevalentibus postea iis, qui transubstantiationi non credebant, formula ad eorum mentem tracta est et secundae editioni sic inserta: « Accipe et comede istud in recordationem quod pro te Christus mortuus est, et nutri te ex eo in corde tuo per fidem cum gratiarum actione. Bibe hoc in recordationem, quod pro te sanguis Christi effusus est, et gratias age ». In quam novitatem, cum multi transubstantiationem admittentes vehementer insurgerent, ad sedandas lites et conciliandos animos, utraque formula, prior nempe et haec posterior, in unam iunctae sunt, cui utriusque partis communicantes respondebant: «Amen», eam in suo quisque sensu interpretantes. Quo ex multis adducto exemplo satis patet, quomodo error ex quadam necessitate in Liturgiam transeat, et in ea tum introductionis suae, tum progressuum et variationum historiam et quasi sigillum figat.

Alia plura exempla eandem rem probant: Gallicanismus ostendit tendentias suas haereticas etiam eo quod sibi praesumpsit mutare Liturgiam Romanam, quia in ea multa invenirentur « vana et profana et a vera religione aliena » (2).

(1) Cfr. D. M. Bouix, Tractatas de iure liturgico (Parisiis 1853) p. 16.

(2) Cfr. H. Bissy episcopus Meldensis, Lettre pastorale (ad editionem novi Missalls Meldensis Ecclesiae).

Novum Missale Meldense *abrogavit recitationem Canonis Missae* submissa voce et introduxit in Canonem responsiones a populo dicendas, in quo facto Pr. Guéranger opinatur ailusionem ad illam sententiam haereticam, quod non solus sacerdos, sed cum ipso etiam populus consecret in Missa (1) et non simul tantum offerat.

Jansenistae porro ev Gallicani tentabant etiam *cultum B. Mariae Virginis* in Liturgia diminuere. In novo Breviario Parisiensi a. 1680 in lectionibus officii B. Mariae Virginis in coelum assumptae delebantur verba S. loannis Damasceni, quae clare exprimunt fidem in corporalem Dei Genitricis assumptionem in coelum. Festum Visitationis B. M. V. omittebatur, festum Annuntiationis festum mere Domini factum est. In Breviario Parisiensi a. 1736 nullum festum Marianum invenitur primae classis. Ex Liturgia removere quaerebant insuper omnia, quae idonea erant ad filialem fiduciam populi in Mariae intercessionem et potens adiutorium roborandam.

In hymno *Ave, maris stella* v. g. stropha quae tam praeclare praedicat potentiam intercessions. Mariae, his verbis:

« Solve vincla reis,
profer· lumen caecis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce. »

hoc modo valde debilitato mutata est:

« Cadant vincla reis,
lux reddatur caecis
mala cuncta pelli,
bona posce dari ». (2).

Quae mutationes Liturgiae ab haereticis factae denuo ostendunt quantum valeat de facto Liturgia pro doctrina Ecclesiae: et quanti etiam haeretici aestimaverint valorem Liturgiae dogmaticum et doctrinalem. In orationibus suis Ecclesia exprimit fidem suam. Ubi doctrina Ecclesiae in aliquibus punctis propter controversias clarius edicitur, ibi etiam textus liturgici respondentes mutantur. Haeretici, ut ostendant, quanti valeat Liturgiae auctoritas in rebus dogmaticis, erroribus suis in ea viam aperuerunt, sive Liturgiae obstaculum arcendo, sive illam ad se trahendo, sive novas fidei professiones a variis conciliis introductas repellendo.

(1) Cfr. Pr. Gueranger, Institutions liturgiques III (Paris 1851) p. 497 ss.

(2) W. De Vries, Lex supplicandi-lex credendi = Ephemerides Liturgicae 47 (1933) p 5‹5 hic nimis arguit dicendo: « Von der fürbittenden Alhnacht Marlene ist hier nichts mehr gesagt ». Neglexit vero in ultima linea vocem ‹ posce a qua reliqua omnia dependent.

§ 3. - *Thesis Liturgiam Romanam vel aliam ah Apostolica Sede expresse agnitam exprimere veram fidem, multis argumentis probari potest: auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, Doctorum Scriptorumgue Ecclesiae.*

Liturgiam Ecclesiae continere et exprimere genuinam Ecclesiae fidem et doctrinam constat non solum ex rationibus internis et ex demonstratione theologica, ut supra ostensum est, vel ex rationibus externis, scilicet propter eximiam Ecclesiae de ea cura, sed etiam ex multiformi testimonio auctoritatis ecclesiasticae, saepius expressis verbis prolato. Nam

a) Sumini Pontifices saepe valorem theologicum et dogmaticum Liturgiae contestati sunt.

Secundum celebrem sententiam *Caelestino PP. 1* attributam « lex orandi statuat legem credendi » (1): ex uniformitate precandi ad dogmatis veritatem concluditur: quod axioma postea plures ex Summis Pontificibus sibi vindicaverunt (2).

Sixtus V, in Constitutione Apostolica « Immensa » (a. 1588), quacum instituit S. Rituum Congregationem, inter alia haec testatur: « Sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur, in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem, « veraeque fidei protestationem » continent.

Nuperrime Pius XI, in Constitutione Apostolica « Divini cultus » (20-12-1928) inter alia haec affert (3): « ... ministerium illud augustum et publicum,... cuius peculiare nomen est Liturgia, quasi aerio sacra praecellenter. Atque res utique sacra est Liturgia: per eam enim ad Deum evehimur, ipsique coniungiiriur, fidem nostram testamur, nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo inter dogma ei Liturgiam sacram itemque inter editum Christianum et populi sanctificationem. Quapropter Caelesrinus I fidei canonem expressum esse censebat in venerandis Liturgiae formulis; ait enim: «legem credendi lex statuat supplicandi». Pergit deinde Pontifex: «In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt », ex communi scilicet actione liturgica potius quam ex

(1) Do hoc axiomate in specie vide infra p. 77.
(2) Inter quos v. g. Sixtus V, Pius IX, Piw» X, Pius XI: cfr. infra.
(3) Cfr. textum integrum in Praefatione.

instructione. Celebratione Liturgiae « perculsus Augustinus consilium cepit, Christi fidem amplectendi ». « In ecclesiis deinde, ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat», ita affirmat Pontifex, «opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, literarum ipsi studiosi, per Liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet ». Quia ergo cultus exprimit fidem, facile inteliigitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in Liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita Liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint » (1). «Itemque patet cur Sancti Patres Liturgiam sacram (seu supplicandi legem) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam » (2). Non minus profunde et clare Pius XI in Litteris Encyclicis « Quas primas » (1925) proponit valorem doctrinalem et instructivum festorum (3).

Ex quibus dictis sat patet Liturgiam sacram, secundum mentem Summorum Pontificum, continere fidem catholicam eamque exprimere. Quapropter tum Summi Pontifices, tum S. Congregationes Romanae, necnon Concilia, et haud pauci Praesules et Theologi indefessa cura de conservanda integritate cultus operam dederunt (4).

b) Quod Summi Pontifices de Sacra Liturgia eiusque relatione ad fidem Ecclesiae professi sunt, hoc idem insuper aliquando claris verbis etiam a Conciliis tum oecumenicis tum provincialibus tum synodis dioecesanis confirmatur.

Patribus *Concilii Tridentini* persuarum erat *Canonem* Missae nullum continere errorem: ideo sess. XXII, can. 6, decrevit: « *Si quis dixerit Canonem Afissaâ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit*». De cetero, ut fideles in vera fide instruerentur, eadem sacrosancta synodus iussit Liturgiam populo christiano exponendam et explicandam esse (5).

Concilium Mechlinense a. 1922 inter alia haec affert (6): «Cum finis cultus Ecclesiae sit gloriam Dei simulque sanctificationem pro-

(1) Cfr. etiam Pius X, Encvclica «Pascendi»; Motu proprio « Inter pastoralis officii » d. 22.11.1903; Catechismus (eius jussu editus), Appendix 11 et alia.

(2) Pius XI, Constit. Apost. « Divini cultus » 20.12.1928.

(3) Cfr. textum supra p. 6.

(4) Cfr. plura alia effata Summorum Pontificum apud: Pn. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico I. De legislatoribus liturgicis eorumnue potestate iuris liturgie! dicundi (Taurini«Romae 1939) p. 64-94; Id., Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1911) p. 68-80; et supra p. 46-57.

(5) Cfr. Pius XI, Constitutio Apostolica « Divini cultus » 20.12.1928,

(6) Acta Concilii Provincialis Mechlinensis n. 257.

curare fidelibus, studeant omnes curam animarum habentes, ut *in ritibus, textibus liturgicis, mysteriisque festorum, quae teste Concilio Tridentino* (1) *magnam continent eruditionem, populus fidelis rite instituatur...* Ptofecto pia et scita participatio fidelium cultui liturgico *multum conferet ad illam divinarum rerum hodie grassantem ignorantiam impugnandam ».*

c) Idea Sacram Liturgiam exprimere fidem Ecclesiae eiusque doctrinam, S. Patribus et Ecclesiae Doctoribus omnino familiaris erat, et ideo Liturgiae textus, ritus, mysteriaque saepius vel ipsi exposuerunt vel saltem exponenda esse censebant. Ipsis enim persuasum erat verum esse « Ecclesiam, quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbare, nec tacere, nec facere » (2), ac proinde in cultu publico et officiali Ecclesiae nihil contra fidem inveniri. Ideo frequenter veritates revelatas ex textibus et ritibus exponunt (3) aut contra haereticos eas propugnant (4).

Particularis momenti est in quaestione nostra testimonium *S. Vincentii Lirinensis,* qui a. 434 in suo Commonitorio c. 2 haec scripsit verba (5): « Saepe igitur magno studio et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus fere rettuli, quod *sive ego sive quis alius vellet* exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare et *in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam,* Domino adiuvante, *deberet:* primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae traditione. Hic forsitan requirit aliquis: ‘‘Cum sit perfectus scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas „? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpraetatur..., idcirco multum *necesse est,* propter tantos tam varii erroris anfractus, ut *propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.* In ipsa item catholica Ecclesia *magnopere curandum est, ut* id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere propinque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere uni-

(1) Sessio *22* cap. 8.
(2) S. Augustinus, Epistola 55, 35 (ad inquisitiones Januarii).
(3) Cir. quae infra dicuntur de praedicatione liturgica.
(4) Plura testimonia infra afferuntur in titulo II cap. V.
(5) PL 50, 639 = JuELICHER 2.

versaliter comprehendit. Sed hoc ita demum flet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequamur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si, in ipsa vetustate, omnium vel certe paene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur ».

Cum Liturgia praecipuum sit instrumentum traditionis ecclesiasticae et maxime fidem Ecclesiae et maiorum nostrorum exprimat, liquet quanti valoris sint verba S. Vincentii etiam in campo liturgico. Item de Liturgia et praesertim de imprudentibus novatoribus valere dicendum est, quod est in cap. 9 eiusdem Commonitorii: «Annuntiare ergo aliquid Christianis catholicis praeter id quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit; et anathematizare eos qui annuntiant aliquid praeterquam quod semel acceptum est, numquam non oportuit, nusquam non oportet, numquam non oportebit » (1).

Similiter etiam Liturgiae applicare licet, quod idem monachus Lirinensis in cap. 20 et 22 addit, scilicet: « Ille est verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus, stabilis, permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit » (2). Deinde (c. 22): « Depositum custodi (3). Quid est *depositum?* Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens. *Depositum,* inquit, *custodi;* catholicae fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde; nolo mihi pro aliis alia subicias; nolo pro auro aut impudenter plumbum aut fraudulenter aeramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam plane... Intelligatur, te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem, quae didicisti, doce, ut cum dicas, nove, non dicas nova » (4).

Non obstante tali perseverantia traditionis, Vincentius novit et agnovit etiam progredientem evolutionem fidei, id quod suo modo etiam de Liturgia

(1) PL 50, 619 = JUELICHER 13
(2) PL 50, 665 = JuELICHER 29.
(3) 1 Tim 6, 20.
(4) PL 50, 667 = JuELICHER 33.

valet (1); ait eniin (c. 23): « Sed forsitan dicit aliquis: *"Nullusne ergo in Ecclesia* Christi *profectus* habebitur *religionist"* Habetur plane, et *maximus...* Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, nen permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alie in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque... *sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu,* eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quae, licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Exempli gratia: Severunt maiore» nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeae fidei semina; iniquum valde et incongruum est ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium zizaniae legamus errorem. Quin potius hoc rectum et consequens est, ut, primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incremento triticeae institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cuiusque generis natura permaneat » (2).

Pulcherrimum testimonium habet δ. *Thomas* de auctoritate Liturgiae eiusque rationem indicat, dicens: «Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo » — quae consuetudo, sicut ex sequentibus apparet, est Sacra Liturgia, seu ritus, usus et orationes Ecclesiae — « quae est semper in omnibus aemulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris » (3). Explicat ergo auctoritatem Liturgiae ex eo, quod eam ab Ecclesia accepit. Et hoc suum argumentum statim applicat ad comprobandam rem suam. Auctoritas ergo Liturgiae superat auctoritatem S. Patrum, quia ipsa Ecclesia, quae per Liturgiam loquitur, Patrum auctoritatem excedit. Hinc S. Thomas saepissime argumenta desumit ex S. Liturgia, eodem modo sicut ex Sacra Scriptura, ex S. Patribus et ex caeteris fidei fontibus; pro qua re infra aliqua exempla proponantur', quae clare demonstrant eius modum argumentationis.

d) Liturgicarum rerum scriptores denique saepe dogmaticam dignitatem Liturgiae ostendunt, quam proinde tamquam locum theologicum considerant; nec dissentiunt Theologi, sive ex Liturgiis documenta educant, unde probent vel confirment doctrinas suas, sive esplicite Liturgiarum auctoritatem laudent.

(1) Cfr. de evolutione t. g. A. Baumstark, Vom gesohichtlichen Worden der Liturgie (Freiburg i. B. 1923); Ph. 0ppenheim, Introductio in scientiam liturgicam (Taurini-Itoniae 1940) p. 98 ss; Id., Historia Liturgiae genetica (Taurini-Romae 1947).

(2) PL 50. 6G7 = Jueliciikr 3.:.

(3) S. Thomas, Summa theologica II-II, 10, 12.

Ut aliquorum voces et sententiae audiantur, praesertim ex recentioribus, ait v. g. Jf. *Festugière* (1): *Liturgiae est,* ut continuet inter homines, realiter simul et mystice, sicut praesentiam, sacrificium, actionem orationemque Salvatoris, ita etiam eius verbum : unde pars didactica Liturgiae adimplet continuo in Ecclesia propriam et indispengabilem cooperationem cum opere sacrificiali et sacramentali Christi. Immo particularis momenti est primam fundamentalem instructionem in fide accipi ex participatione cultus divini. Liturgia enim exprimit, in suo modo loquendi, omnes veritates dogmaticas, propositiones quoque theologice probabiles, omniaque principia theologiae moralis et asceticae (2). Liturgia debet non tantum instruere de veritatibus fidei, sed eas omnibus viribus mentis et cordis applicare et ad praefica exercitia vertere. Est Christus, qui ore Ecclesiae loquitur.

Liturgia insuper, secupdum verbum celebre aliquod abbatis *Columbae Jfarmion* (3), est oratio Ecclesiae, vox officialis Sponsae Christi.

« Quot et quales divitiae sunt in oratione liturgica, ita intellecta! » exclamat *L. Lahaise* (4), « textus inspirati, textus desumpti a S. Patribus, a Doctoribus, a praeclaris Sanctis, a Papis et Episcopis, textus qui ascendunt ad prima Ecclesiae tempora praesertim in partibus essentialibus Liturgiae; textus qui se adaptant ad circumstantias in quibus vivimus, et ad indigentias quas nos in nostro aevo sentimus ».

Secundum *R. Guardini* (5) Liturgia non est nisi veritas, veritas in vestitu orationis. Oratio liturgica tota dominatur a dogmate, tota vivificatur a dogmate. Ut adimpleat in communitate catholica suum munus, necessario veritas integra est, tota veritas, quam incorporat in orationem. Sola veritas, solum dogma dat orationi fortitudinem; dat cogitationibus claritatem et praeficam efficacitatem.

(1) M. Festugiere. La liturgie catholique; Essai de synthèse (Maredsous 1913) p. 112 - Cours et Conférences des Semaines liturgiques XIV (Louvain 1938) p. 68: « La liturgie est chargée de continuer à la fois réellement et mystiquement la présence, le sacrifice, l'action, la prière et la parole de lésus parmi les hommes ».

(2) M. Festugière, La liturgie catholique. Essai de synthèse (Maredsous 1913) p. 121; cfr. etiam: L. Beauduin, Essai de manuel fondamental de liturgie, in: Questions liturgiques 3 (1913) p. 143; Id., La piété de l'Eglise (cd. 22, 1914) p. 37. 92 s.; M. Cappuyns, Liturgie et Théologie Cours et Conferénccs des Semaines liturgiques XIV (Louvain 1938) p. 175-209.

(3) C. Marmion, Le Christ, idéal du moine, p. 398 s.

(4) L. Lahaise. La Liturgie, l'Eglise en prière, in: Cours et Conférences... (ut supra) p. 53 s: « Quelle richesse dans lu prière liturgique ainsi comprise! Textes inspirés, textes empruntés aux gloires de l'Eglise (Pères, docteurs, grand saints, papes, et évêques), textes remontant aux premiers temps de l'Eglise surtout dans les parties essentielles de la liturgie, textes s'adaptant aux circonstances dans lesquelles nous vivons et aux besoins que nous ressentons à notre époque. ».

(5) R. Guardini, Vom Geist der Liturgie (trad gallica « L'Esprit de la Liturgie» Paris 1929 p. 106. 1<>9 s. 112).

Et de facto, addit *G. Lefebvre* (1) totum depositum fidei in libris officialibus cultus reperi potest.

J. Weber in suo pulchro studio synthetico (2) praestat synthesini singularum veritatum in Liturgia expressarum, et simul ostendit, eam instruere quoad vitam spiritualem, et unice pro ea, eam esse, secundum aliquam expressionem Pio XI caram: « scientiam pro vita » (3). Altera parte non negligit limites huius instructionis: Liturgia sola non sufficeret, etiam theologia, magis completa, magis praecisa habet suam rationem essendi, Liturgia mox perderet de suo valore, si inniteretur non in doctrina theologica possessa et fideliter nutrita a vita orationis (4).

J. B. Herman (5) tribus exemplis (ex festis scilicet Omnium Sanctorum, Omnium Defunctorum, Dedicationis Ecclesiae) optime ostendit particularem valorem instructionis catecheticae de aliqua veritate fidei occasione et ex textibus alicuius festi; quae idea de cetero in Ecclesia, in multis locis in usu est. *K. Adam* (6) inquisivit valente studio fundamenta dogmatica Liturgiae.

« Liturgia enim est dogma in praxim versum, a magisterio ecclesiastico quotidie propositum, a clero et fidelibus acceptum, creditum, oratum, cantatum, divulgatum; est illud vastum Credo, in quo unaquaeque, etiam minima Oratio, unaquaeque etiam modestissima caeremonia exprimit et confirmat aliquod fidei mysterium » (7).

Secundum P. Perrone (8) «vix aliquod fidei dogma est ex eis, quae catholica profitetur Ecclesia, quod illae (scii, orationes liturgicae) non attestantur ».

Tandem Liturgiam sacram exprimere et probare fidem et doctrinam Ecclesiae elucet ex consensu omnium de ea docte ac pie scribentium, inter quos v. g. S. R. E. Cardinales *Bona, Newman, Schuster,*

(1) G. Lefebvre, Liturgia (S. André les Bruges 1922).

(2) J. Weber, La Liturgie, son enseignement dogmatique = La liturgie est « la didascalie de l'Eglise » (Pie XI) par son enseignement dogmatique, in: Cours et Conférences des Semaines liturgiques XIV (Louvain 1938) p. 89-114.

(3) Fontenelle, Sa Sainteté Pie XI, p. 35.

(4) J. Weber, Ibd. p. 109.

(5) J. B. Herman, Cycle liturgique et religion, in: La vie liturgique 14 (1937) 102-106.

(6) K. Adam, Les bases dogmatiques de la liturgie = Les Questions liturgiques et paroissiales 22 (1937) 3-18 etc.

(7) Ph. Oppenheim, Liturgie und Dogma » Théologie mid Glaube 37 (1935) p. 560: • Die heilige Liturgie ist das gelebte Dogma, so, wie es vom Magisterium ordinarium der Kirche Tag um Tag vorgelegt, und von der Gesamtkirche angenommeu, bekannt, gebetet, gesungen und verbreitet wird. Sie ist das grosse, weite Credo, wo jede, selbst die kleinste Oration, jede, selbst die geringfügigste und unscheinbarsto Zeremonle irgendeln Glaubensgeheimnis ausdrückt und bestütigt ».

(8) i'. Perbone, Tractatus de locis theologicis, P. 2 Sect. 2 c. 2. η. 4.

Mercier, Abbates *Guéranger, Cdbrol. Marmion, Sauter, Wolter, Caronti, Herwegen, Deutsch,* inter auctores v. g, K. Stapper, P. Albrigi, L. Eisenhofer, P. Veneroni, B. L. Barim, G. Lefebvre, V. Michel, H. Lang, aliique multi, qui studio et opera ideas suas optimo successu propagant. Ex tempore antiquiore multa testimonia collegerunt Johannes Brinktrine (1), P. Renaudin (2), alii, ut supra ostensum est.

(1) Job. Bbinktiune, Der dogiuatischo Benweis aus der Liturgie (Scientia Sacra. Festgabe für Kard. K. J. Schulte [Düsseldorf 1935] 231-251).

(2) P. Renaudin, Do auctoritate sacrae liturgiae in rebus üdei (Divus Thomas, Freiburg 13 [1935] 40-51).

TITULUS II.

De Liturgia quatenus demonstrat fidem

Caput I.

Liturgia demonstrat fidem.

§ 1. - *Quaelibet societas religiosa de facto edm tenet fidem et doctrinam, quam clare exprimit Liturgia apud ipsam adhiberi solita.*

Supra dictum est omnem hominem eo, quod aliquid a Deo petit, ei gratias agit, eum adorat, exprimere fidem suam. Similiter etiam aliqua societas in publico suo cultu exprimit fidem suam.

Et sicut ex verbis et ritibus, quos peragit aliquis homo in cultu tuo privato, erui potest, quid credat, ita etiam ex sacris ritibus sacrisque textibus, quos aliqua societas pro publico et officiali suo cultu divino praescribit, quosque practice exercet, — licet eos exerceat per vicesgerentes seu ministros suos — facile erui potest, quid ipsa credat, vel saltem, dum talia omnibus et singulis membris societatis publica demonstratione exercenda, profitenda vel petenda proponat, quid a sodalibus suis credi et propagari velit. Unde, ut cognoscatur, qualis sit fides alicuius societatis religiosae, sufficit observare id, quod clare in eiusdem societatis liturgia exprimitur, cum haec non possit esse scienter vel erronee dilïormis a fide publica (1).

Patet ex supra dictis eam esse Liturgiae naturam, ut semper et necessario doctrinam seu dogma exprimat. Eadem ratione non potest esse diversitas inter fidem seu doctrinam alicuius populi, et fidem quam clare exprimit Liturgia apud ipsum vigens. Quodsi enim aliquis populus seu aliqua societas religiosa per suam Liturgiam exprimeret doctrinam diversam ab ea, quam revera tenet, id faceret vel scienter

(1) Cfr. P. Veneroni, Manuale di Liturgia I (Milano 1939) p. 69 sq.

vel erronee; *scienter* supponi non potest: nam clerus et populus, absque ulla ratione, unanimiter convenire nequeunt in tale mendacium, ut sciant se fingere et publice profiteri fidem, quam erroneam et impiam reputant; id tantum accidere potest per transennam ob incussum metum et illatam violentiam. Verumtamen etiam in tali casu multi potius resistere solent et praeferunt mori, quam ad vitandam necem aliave detrimenta, religionem lingere, quam falsam ac proinde sacrilegam existimant. Quae repugnantia praecipue apud catholicos populos semper maxima erit, quia hoc ipso, quod catholici sunt, pro certo tenent huiusmodi publicam apostasiam scelus esse quam maximum. Unde, seclusa violentia, impossibile est, quominus aliqua societas religiosa, Christiana praesertim et catholica, consentiat, ut scienter, per cultum externum et publicum, seu per Liturgiam, falsam atque impiam religionis doctrinam profiteatur.

Sed neque *erronee* id accidere potest, saltem quoad eas partes Liturgiae, quae clare exprimunt doctrinam vel dogma. Hoc enim ipso, quod supponitur doctrina aliqua, quae *clare* per Liturgiam exprimitur, omnes statim advertent, docti praesertim viri et sacerdotes, illam doctrinam fidei suae esse contrariam et Liturgiae fraudulenter insertam. Si quis ergo tentaret subdola Liturgiae immutatione trahere aliquem populum ad publice profitendum aliquid dogmatis, quod fidei apud eundem populum vigenti est manifeste oppositum, fraus eius statim aut saltem brevissimo tempore cunctis manifesta foret, nisi forte novam doctrinam tantopere ambiguis verbis aut ritibus exprimit, ut populus nonnisi difficulter discernere possit novitatem et a fide sua diversitatem, sicut factum est v. g. in Svezia, ubi retentis omnibus externis ritibus temporis catholici plebs fraude subdole ad errores Protestantium tracta est.

Quoad illam doctrinam ergo, quae *clare* in aliqua Liturgia exprimitur, accidere nequit (extra casum incussi timoris aut violentiae ad fallendum impellentem), ut diversa sit ab ipsa fide, quam populus ea Liturgia utens tenet.

« Ex his intelligitur, ait Pius XI quoad Liturgiam Ecclesiae, cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in Liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura iu dogmate aptis verbis exprimendo, ita Liturgiae Sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint» (1), ea scilicet ratione, ne ex falsa doctrina in textibus et ritibus liturgicis expressa ad erroneam doctrinam Ecclesiae concluderetur.

(1) Pius XI, Constitutio Apostulica « Divini cultus» d. 20 Dec. 1928 (AAS 21 [1929] p. 34); cfr. supra p. 9 s.

§ 2. - *Liturgia sacra est locus theologicus praestans.*

Liturgia sacra, utpote genuinum testimonium fidei Ecclesiae, simul est instrumentum traditionis insigne, ac proinde locus theologicus praestans, cui inest valor dogmaticus ad confirmanda vel probanda fidei dogmata, ex quo tuto argumenta desumi possunt ad probandam fidem vel doctrinam Ecclesiae.

Loci theologici definiri solent, promptuaria seu fontes ex quibus theologi sua depromunt argumenta. Melchior CANUS eos in duplicem classem primo distinguit: rationis et auctoritatis. « Cum vero in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, at theologia tamen una est in qua non tam rationis in disputando quam auctoritatis momenta quaerenda sunt » (lib. l cap. 2). Varias postea species sub praedicto duplici membro distinguens, decem praecipuos huiusmodi locos theologicos enumerat, « tamquam domicilia omnium argumentorum theologicorum, ex quibus theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant » (ibd. cap. 3). Quam tamen enumerationem fatetur posse alio modo institui. Et quamvis Liturgiam explicite non inter hos locos theologicos habeat, tamen perspicuum est eis Liturgiam annumerari posse. Ut enim Liturgia merito dicatur locus theologicus, sufficit ut theologi ex eo fonte conclusiones suas certas facere possint. Atqui ex hucusque probatis, Liturgia invocari potest tamquam validum veritatis dogmaticae argumentum. Insuper statim patet, inter locos a M. Cano enumeratos Liturgiamf acile inseri. Hos enim locos enumerat (lib. l cap. 3): « Locorum ergo theologicorum elenchum denario nos quidem numero complectimur, non ignari futuros aliquos, qui eosdem hos locos in minorem numerum redigant, alios qui velint etiam esse maiorem ...Primus igitur locus est auctoritas Sacrae Scripturae quae libris canonicis continetur. Secundus est auctoritas traditionum Christi et Apostolorum. Tertius est auctoritas Ecclesiae catholicae. Quartus auctoritas Conciliorum, praesertim generalium... Quintus auctoritas Ecclesiae Romanae, quae divino privilegio et est et vocatur apostolica. Sextus est auctoritas Sanctorum veterum. Septimus est auctoritas theologorum scholasticorum, quibus adiungemus etiam iuris pontificii peritos... Octavus ratio naturalis, quae per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet. Nonus est auctoritas philosophorum... Postremus denique est humanae auctoritas historiae ».

Quaestio poni potest, quae sit relatio Liturgiae ad reliquos locos theologicos?

Patet Liturgiam facile inter primos locos collocari, tum quia textus et actiones componuntur sive immediate ex Sacra Scriptura, sive ex traditione et auctoritate Ecclesiae, sive ex sanctis Patribus, tum quia Ecclesia Bomana, eius magisterium eos proponit et imponit.

In specie haec dici possunt (1):

a) Liturgia est *regula fidei proxima,* inquantum Ecclesia etiam hodie, et non ultimo loco, mediante Liturgia ordinarium suum exercet magisterium. Ac proinde ex Liturgia desumere possumus, id quod hodie a magisterio ordinario Ecclesiae universali quid credat, proponitur. Sub hoc respectu veteres Liturgiae non respiciuntur, sed solae nunc vigentes. Hinc ergo Liturgia *auctoritati Ecclesiae catholicae,* et inquantum agitur de Liturgia Romana, *auctoritati Ecclesiae Romanae* adnumeranda est. Ita considerata, Liturgia est simpliciter pars vivae praedicationis doctrinae Ecclesiae catholicae, vel Romanae. Quodsi agitur de Liturgia alicuius ecclesiae particularis, auctoritas talis Liturgiae coincidit cum auctoritate istius ecclesiae particularis.

b) Liturgia est etiam *regula fidei remota,* quatenus est praestans elementum *iraditionis.* Mediante antiquiore textu vel usu liturgico proponi potest argumentum ex traditione, quatenus ostenditur aliquam doctrinam, quae nunc in Ecclesia creditur, iam antea in hoc textu liturgico, in hoc symbolo, in hae lege suppositam vel expressam esse. In hoc casu, ut facile intelligitur, non tantum consideranda est Liturgia quae nunc viget et inquantum continet elementa antiquiora, sed etiam Liturgiae antea in usu, nunc vero abrogatae.

c) Quatenus ergo argumenta ex Liturgia desumpta reducuntur ad traditionem et auctoritatem Ecclesiae Romanae, superant argumenta ex S. Patribus vel ex theologis desumpta.

d) Fieri potest ut aliquis terminus vel usus aliquando *per aliquod tempus* in Liturgia inveniatur, qui non congruit cum veritate postea definita Vel postea communiter tamquam certa agnita, vel ut opiniones in ea aliquandiu sinant ur, quae discutiuntur; vita enim doctriuaest prior, praxis theoria; et hoc praesertim tamdiu, quamdiu Ecclssia nondum clare suam de re sententiam dedit. Et talis terminus vel usus interdum ad tempus manet in praxi liturgica, usquedum in revisione respective libri liturgici authentice corrigatur. Verumtamen excluditur in Liturgia modo in vigore aliquid inveniri, quod opponitur doctrinae Ecclesiae eiusdem temporis.

De facto tempore priore Breviarium Romanum continebat ex tractatu ps. hieronymiano «De assumptione B. Mariae Virginis» («Cogitis me») locum in quo dicebatur nihil certi nos scire de assumptione corporali B. Alariae Virginis in coelum; similiter etiam in Martyrologio in choro adhibito non admittebatur certitudo resurrectionis et corporalis in coelum assumptionis B. Alariae Virginis (2). Qui textus non amplius exhibetur.

Praeterea in Pontificali Romano saeculi XIII Rubrica quaedam erronee dicebat vinum non consecratum per contactum cum Hostia consecrata in Sanguinem Christi mutari; quae Rubrica postea evanuit, erat enim opinio tunc temporis praedicata et credita (3).

(1) Cfr. Joh. Brinktkine, Der dogmatisohe Beweis aus der Liturgie l. c. p.'240 ss.

(2) Cfr. J. Ernst, Um die Definierbarkeit der leiblichen Himmelfahrt Mariae — Bonner Zeitschrift fûr Théologie und Seelsorgo 4 (1927) 329.

(3) Cfr. M. Andrieu, Immixtio ot consecratio. La consecration par contact dans les documents liturgiques du inoyen-ûge (Paris 1924) p. 151 s.

Hinc est, quod Pius IX iu bulla dogmatica de Immaculata Conceptione, ut videtur, prudenter et scienter, ita dicit: «Quoniam quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur, idcirco decessores nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam obiectum et doctrinam declarare et inculcare impensissime studuerunt ».

Etiamsi ergo supra dictam possibilitatem admittamus, per hoc argumentatio ex Liturgia qua talis non concutitur. Nam cum dicatur, in Liturgia nihil inveniri posse, quod contrarium sit doctrinae Ecclesiae *eiusdem, temporis,* ex Liturgia hodierna cognosci potest, quod nunc est fides Ecclesiae; ex Liturgiis antiquioribus vel ex antiquioribus partibus hodiernae Liturgiae cognosci potest, quod antea erat fides Ecclesiae. Tantum id supponitur, talem doctrinam *per longius tempus* in Liturgia fuisse. Primus ergo modus argumentationis et alter *(a* et b) pleno iure gaudent. Solum praecognitio dogmatis *juturi,* quod ab Apostolica Sede nondum decisum est, aliquantulum perdit de absoluta certitudine: certam quandam *probabilitatem* non transgreditur: sed plus non contendimus. Aliquis dubitare posset, utrum tali modo explicationis non diminuatur infallibilitas Ecclesiae, et utrum congruat cum hac infallibilitate, si opiniones erroneae, vel saltem non certae, etsi tantum per aliquod tempus, in textibus vel ritibus Liturgiae inveniuntur. Infallibilitas Ecclesiae eodem modo per nostrum modum explicationis non tangitur, quo etiam Ecclesia tolerare potest, ut opposita ad aliquam doctrinam opinio praedicetur, quamdiu de aliqua quaestione fidem tangente nihil deciderit nec ullo modo indicaverit, ad quam partem inclinet. Ita Sixtus IV Papa reprehendit eos, « qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale, *eum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum* » (DENZINGER n. 735). Quicumque concedit progressum dogmaticum, etiam quoad doctrinam in Liturgia contentam concedere debet hoc fieri posse. Tunc demum, quando Ecclesia incipit versus certam determinatam aliquam veritatem inclinare, curabit, ut saltem ex Liturgia auferatur sententia contraria, quamvis apud unum alterumve Theologum remaneat. Solummodo tunc de re contra infallibilitatem Ecclesiae ageretur, si quaedam doctrina, quae postea erronea agnosceretur, ab Ecclesia, i. e. a magisterio ordinario, in Liturgia tamquam *certa et secura* doctrina fidei praesentaretur. Qui vero casus excludendus est nec unquam probari poterit.

Liturgiam esse ditissimum traditionis depositum, satis patet ex ingenti numero formularum et rituum, quibus ecclesiarum doctrina et fides remanserunt consignatae et quasi sigillatae. Liturgiae enim veteres testantur quid tenuerint antiquae ecclesiae. Quid decursu saeculorum de manu ad manum traditum sit, ditissime pariter exhibent Liturgiae contemporaneae.' Ita Bossuetius, Liturgiam iure ac merito vocavit: «principale traditionis instrumentum».

Gravissimum Liturgiae valorem doctrinalem ostendit etiam haec consideratio:

Argumentum ex Liturgia desumptum plena certitudine probat veritatem alicuius doctrinae fidei, si ex eo — sicut in omni argumento traditionis dogmaticae requiritur — constat Ecclesiam moraliter universam aliquo tempore admisisse aut professam esse hanc doctrinam tamquam certo pertinentem ad depositum fidei. Impossibile enim est, ut Ecclesia universa hac in re erret (1).

De huiusmodi autem conditione constare potest, et quidem non raro facilius ex documentis liturgicis quam ex scriptis S. Patrum. Testimonia enim liturgica *non sunt prolata semel ab uno,* sed a multis per generationes et generationes; *exprimwnt* non solum *sensum Ecclesiae discentis* sed *et docentis,* quae composuit vel saltem approbavit documenta; tandem *ex modo et frequentia attestationis, ex indole ritus* in quo exprimitur et *ex momento ipsius doctrinae,* indubie apparere potest Ecclesiam hanc doctrinam profiteri tamquam ad depositum fidei pertinentem. Et ita ex modo quo Ecclesia iubet orare, interdum deduci potest, cum plena certitudine, quid sit credendum. Lex orandi ostendit legem credendi, Liturgia probat dogma (2).

Dum huius adagii vis saepe exaggeratur, theologi raro solent recurrere ad Liturgiam, quasi huius textus penitus ignorarent!

Patet ergo Liturgiam generatim esse locum theologicum praecipuum, genuinum testimonium fidei Ecclesiae, insigne traditionis instrumentum, eique competere plenum valorem argumentationis theologicae, quod non pauca Concilia affirmaverunt; praeterea Summi Pontifices in fonnulandis dogmatibus haud raro ad S. Liturgiam recurrerunt, ut, « lex supplicandi statuat legem credendi » (3).

Ecclesia vero cuius est, custodire et declarare depositum fidei, **potest** quidem in rebus minoris momenti aliquando **tolerare** locutionem vel doctrinam, quam non quidem haereticam, tamen non minus rectam esse indicat (4), vel de quibus inquisitiones accuratiores **nondum factae sunt, sed omnino nequit permittere,** ut suo nomine in Liturgia sacra, i. e. in cultu suo officiali publico, saepius repetantur aut in ritibus praecipuis aliqua asserantur, quae sunt contraria iis, quae ipsa credit aut sentit (5) i. e. ut fidelibus

(1) D. M. Bouix, Tractatus de iure liturgico p. I c. VII § 1 summarie ostendit trodecim dogmata probari ex Liturgia. Sunt vero multo magis, immo omnia, ut facile probari potest.

(2) Cfr. C. Calt-ewaert, Liturgieae Institutiones I (ed. 3 Brugis 1933) p. 13 n. 42.

(3) Capita Coelestini (Denziger 139).

(4) Ita in lectionibus Breviarii plura sunt admissa, historice quidem dubia aut erronea, non vero theologice stricte dicta.

(5) S. Augustinus, Epist. 55, 35 (ad inquisit. Januarii) « Ecclesia quae sunt contra fidem, V91 bonam vitam, non approbat, nec facit »: Concilium Trident., Scss. 22 can. 6 « Si quis dixe-

ex officio ab ipso magisterio Ecclesiae falsa quaedam doctrina de rebus fidei et morum proponatur. Tota enim instructio in rebus fidei et morum pro maiore saltem parte fidelium fit per s. Liturgiam, ubi Ecclesia iam per electionem, compositionem, coordinationem, adaptationem et interpretationem textuum ostendit, quaenam dogmata fidei principaliora esse putat ideoque saepius fidelibus proponenda.

Quamvis vero ex modo, quo Ecclesia iubet orare, interdum plena certitudine deduci possit, quid sit credendum, tamen Ecclesia formulis liturgicis formaliter quidem non utitur ad definiendum vel imponendum, quid sit credendum, immo nec primario ad docendum (1), sed ad Deum colendum.

Attamen per modum quo Deum laudat vel orat, exprimit quid et qualiter ipsa credat et iuxta quos conceptus Deum publice coli velit.

Qua vero re dicere non contendimus, omnia quae in Liturgia inveniuntur, ab omni errore libera esse debere, praesertim si agatur solum de errore historico, sicut interdum in lectionibus Breviarii vel in Martyrologio; nonnulli textus liturgici praebent etiam interpretationi difficultatem, sicut Offertorium in Missa pro defunctis - videtur oratio esse in favorem animae quae est coram Deo in iudicio, ut praeservetur ab inferno libri liturgici porro, qui non pro *tola* Ecclesia, sed pro parte tantum approbati sunt, fidem testificantur non totius Ecclesiae, sed solum illius partis in qua exhibentur. Liturgia vero Romana, quae deinde a Concilio Tridentino in parte maiore Ecclesiae assumpta est, maiore gaudet auctoritate, quacum propter eius principatum omnes ecclesiae consentire debent (2). Unde si textus alicuius Orationis in *omnibus* iiturgiis invenitur, vel in Liturgia Romana aut alia a S. Sede approbata, testimonium Liturgiae nobis non solum praebet opinionem unius vel alterius S. Patris Ecclesiae, sed attestationem Ecclesiae universalis. Unde patet eius intelligentiam esse admodum utilem non solum ad cognitionem veritatis catholicae, sed ad imbuendum plenum sensum ecclesiasticum.

rit, canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse, A. S. ·; Sixtus V, Bulla, « Immensa»; Liturgia « verae fidei protestatio» est (Bullarium Rom. IV. 4 p. 395).

(1) Ad hoc exercet potestatem magisterii, et utitur definitionibus, encyclicis, aliisque documentis doctrinalibus.

12) Cfr. Cai.lewaert, l. c.; De Vries, l. c. p. 49 sq.

§ 3. - «Zeæ *supplicandi statuat legem credendi*» (1).

Antiquissima et firmissima in Ecclesia est persuasio Liturgiam inter et fidem intimam quamdam intercedere relationem, immo legem, quae ordinat publicam orationem, statuere legem credendi. Quod assertum multis quidem notum est; pauci vero familiare habent, qualis sit genuinus et originalis eiusdem axiomatis sensus, cuinam fundamento innitatur, utrum revera et pleno iure generatim et sine ulla exceptione vel limitatione de cultu divino admitti possit, an potius restringendum sit ad certos quosdam casus certasque conditiones; quo sensu et quousque dici possit, vel etiam debeat, et quomodo et quousque verum sit; utrum denique et quomodo in historia Ecclesiae ipsum magisterium ecclesiasticum aliique probati auctores eo usi sint, sive ad declarandam fidem catholicam eamque illustrandam, sive ad fundandam vel ad demonstrandam aliquam dogmatis definitionem, sive ad defendendum depositum fidei vel doctrinam Ecclesiae, utrum et quousque etiam a fidei catholicae oppugnatoribus adhibitum sit. Nemo vero est, qui non videat gravissimi esse valoris pro vera, iusta et congrua Sacrae Liturgiae aestimatione quaestionem, utrum sacri Ecclesiae ritus cum suis textibus et actibus, rebus et symbolis, quibus eadem Ecclesia in publico suo et officiali cultu divino utitur, habeant praedictum nexum cum fide et doctrina Ecclesiae, et cur, et qualem, et quousque; idque praesertim animos occupat, cum a primis Ecclesiae temporibus usquenunc valor Liturgiae theologicus ab optimis quibusque auctoribus continuo fere sit affirmatus atque expositus.

Clarissime inter documenta patristica de valore dogmatico Liturgiae loquuntur *CapiMa de gratia* (2), quae sub nomine S. Caelestini I PP. circumferuntur et a collectoribus canonum eiusdem Epistolae 2.1 ad episcopos Galliarum addita sunt; a pluribus hodie adscribuntur »S'. *Prospero Aquitano,* discipulo S. Augustini, qui eiusdem sui magistri ideas magis evolvit; videntur tamen potius Romae a S. Prospero Aquitano brevi post S. Caelestinum I inter 435 et 442 collectae esse (3) et circa a. 500 ut genuina Sedis Apostolicae doctrina universim

(1) Cfr. Portali É, art. Célestin, in DTC II, 2052-2061; C. Callfavaert, Liturgicae Institutiones I (ed. 3, Brugis 1933) p. 38 n. 3; J. Brinktrine, Der dogmatischc Beweis ans lier Liturgie = Scientia Sacra (Düsseldorf 1935) p. 234.

(2) De gratia Del « Indiculus » « seu praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates ·. Cfr. S. Prosper Aquitanus, Capitula de gratia Dei 8 (PL 51, 209).

(3) Cfr. M. Cappuyns, L'origine des capitula pseudo-célestiniens contre le scrai-pelaglunisme = Hevue Bénédictine 41 (1929) 156 ss.

agnitae (1). Liturgiam expresse tradunt tamquam regulam fidei his verbis: « Legem credendi statuat lex supplicandi ». Ad melius intelligendum valorem huius celebris sententiae, quae postea S. Caelestino I PP. attribuitur et usque ad nostros dies pluries tamquam istius Pontificis effatum exhibetur, cum toties in subsecutis saeculis memorata inveniatur, totus textus in suo contextu oculis subiiciatur (2).

Postquam auctor contra Pelagianos et Semipelagianos adduxit testimonia Summorum Pontificum Innocentii et Zosimi canonumque concilii Carthaginiensis, etiam ex orationibus liturgicis argumenta desumere intendit pro eo, quod conversio peccatorum et infidelium sit opus gratiae divinae;

Ait enim capite 8: «*Praeter* has autem beatissimae et *Apostolicae Sedis inviolabiles sanctiones,* quibus nos piissimi Patres, pestiferae novitatis elatione (alias: electione) deiecta, et bonae voluntatis exordia et incrementa probabilium (alias: probabiliorum) studiorum et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, **obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.** Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et, tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur ».

« Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suae (3), et ex vasi» irae faciat vasa misericordiae (4). Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur » (5).

Aperte ergo docet Liturgiam, « quae uniformiter in omni catholica Ecclesia celebratur » legem statuere credendi. Putat orationes al-

(1) Cfr. Peirus Diaconus, Epistola (a. 520) c. 8 n. 7 (PL 45,1775); Brachiarius (saec. VII), Dc ecclesiasticis dogmatibus c. 22-32 (PL 83, 1232-1231); Gennadius Massilien-sis, De ecclesiae dogmatibus 30 (PL 58, 987 D).

(2) Cfr. F. Cabrol, in: DACL II, 2725-2799.

(3) Col 1, 13.

(4) Rom 9, 22 sq.

(5) Denzinger-Bannwart-Umberg, Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum (ed. 18-20 Friburgi Br. 1932) n. 139, p. 65 sq.

latas uniformiter in universa Ecclesia dici ipsasque iam ab Apostolis iraditas esse. Manifeste alludit ad *Orationem* quae dicitur *fidelium,* quae in vetustis Liturgiis ante Offertorium id est post Missam catechumenorum dicebatur, et cuius vestigia iu Liturgia Romana optime conservavit Liturgia in Parasceve (Orationes solemniores ante denudationem Crucis). Textus, ad quem auctor alludit, certo vetustissimus est, verumtamen congruit magis cum textibus veteris Liturgiae Gallicanae quam cum textibus Romanae Liturgiae.

Termini, quibus utitur, quamvis non sint citatio immediata liturgica, tamen facile reconstructionem textus ad quem alludunt permittunt, hoc scilicet tenore:

« ut infidelibus donetur fides,
« ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus,
« ut iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat,
« ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant,
« ut schismatici spiritum redivivae charitatis accipiant,
« ut lapsis poenitentiae remedia conferantur,
« ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur ».

Qui locus citatus gravis momenti est, cum det nobis elementa orationi s lilanicae prout saeculo V in ecclesia gallicana in usu erat et quam auctor putat) so in usu universali. Differentia ad orationem respectivam romanam statim ‹›x comparatione cum illa, quam sacramentaria Gelasianum et Gregorianum offerunt, elucet, quamvis in aliquibus terminis congruat:

Capitula	*Gelasianum*
... ut catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur...	...catechumenis nostris, ut Deus... adaperiat aures... ianuamque misericordiæ, ut per lavacrum regenerationis... digni inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.
... ut fidelibus donetiir fides...	
... ut idololatrae ab impietatis suæ liberentur erroribus...	
... ut iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat...	...ut Deus auferat velamen de cordibus eorum ut et ipsi cognoscant Jesum Christum... ut cognita veritatis tuae luce... a suis tenebris eruantur...
... ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant.	...pro haereticis et schismaticis,. . ut errantium corda resipiscant et ad veritatis tuae redeant firmitatem.
... ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant.	
... ut lapsis... remedia conii rant.	

Tales preces litamcae, quae in Ecclesia Romana a saeculo VIII non amplius recitantur, saeculo V frequentiores erant, sicut usus mansit in Liturgiis Orientalium.

Maiorem vero analogiam quam cum Liturgia Romana verba Capitulorum habent cum libro *De vocatione gentium* S. Prosperi Aquitani (1) vel eius coaetanei; legitur enim ibidem: « (Praecepit Apostolus) fieri observationes (obsecrationes?) et postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus ac pro his, qui in sublimitate sunt ». Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum et omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur a populis Christianis. Supplicat ergo ubique ecclesia Deo non solum pro sanctis et in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Christi, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judaeis, quorum caecitati lumen evangelii non refulget, pro haereticis et schismaticis, qui ab unitate fidei et charitatis alieni sunt. Quid autem pro illis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, et de ignorantiae tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis? » Non ergo ipsa verba S. Prosperi ex eius vel eius coaetanei libro De vocatione gentium in textum Capitulorum transsumpta sunt, uti saepius affirmatur, sed sola affinitas adest.

Auctor ergo huius operis ex una oratione litanica deprompsit argumentum, ut demonstraret legem huius orationis supplicatoriae statuere regulam fidei; haec ver? oratio secundum eius opinionem universalis est et ab Apostolis descendit, et est contra errores Pelagianorum. Ecclesia ore ministrorum suorum orat ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae liberentur ab erroribus suis, ut Judaei videant lumen veritatis, ut haeretici et schismatici redeant ad veritatem, etc. Omnia vero haec operatur gratia divina, est opus gratiae; novo ergo argumento ostenditur Pelegianos vana et inania docere.

Ita enim auctor argumentationem suam concludit (2): «His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina desumpta auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumqua virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit ut, aliquid boni et velle incipiamus et facere (3). Quo utique auxilio et munere Dei ncn aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his, quae largitus est, aeterna prae-

ii) Prosper Aquitanus, De vocatione gentium 1, 12 (PL 51, 664).
(2) Denzinger-Bannwart-Umbero, Ibd. n. 111 p. 66 sq.
(3) Phil 2, 13.

mia sit donaturus (1). Agit quippe in nobis, ut, quod vult, et velimus et agamus, nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda, donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros et redimit de interitu vitam nostram (2), et cui quotidie dicimus: Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo » (3).

Notatu ergo dignum est citatam propositionem ab auctore non statui ad modum alicuius regulae generalis, absque ulla restrictione, sed enuntiari in casu particulari. Hic est sensus originarius axiomatis, quod postea toties repetitur et tamquam regula generalis accipitur in materia liturgica, ita quasi ut omnis oratio vel omnis ritus praecederet definitionem dogmaticam et fieret regula fidei (4). Aperte vero hic dicitur Liturgiam « quae uniformiter in omni catholica Ecclesia celebratur » esse legem credendi. Pro quo asserto statim aliud exemplum ftlïcrtur; ita enim pergit auctor Capitulorum (5): « *Illud* etiam, *quod* ‹ irca baptizandos *in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit,* non otioso contemplamur intuitu: cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras (6) et quomodo prius alligetur fortis (7), deinceps et vasa eius diripiantur· (8), in possessionem translata victoris, qui captivam duxit captivitatem (9), et dat dona hominibus » (10).

Ideae maximi inter S. Patres occidentales hic classicam suam invenerunt formulationem. Sicut argumentatio ex Liturgia a S. Augustino et a S. Hieronymo aeque iuxta argumentationem ex Sacra Scriptura ponitur (11), ita a S. Prospero Aquitano iuxtaponitur decisioni Apostolicae Sedis. Sententia vero « ut legem credendi lex statuat '.upplicandi », quamvis ab initio pro certo aliquo determinato casu tan(um sit pronuntiata, et quidem non a Summo Pontifice, cui adserihitur, tamen postea, cum Liturgia Romana facta est Liturgia universalis, in universa Ecclesia tamquam axioma indiscussibile recepta

(1) Cfr. Augustinus, Epistola 194 ad Sixtum 5, 19 (PL 33, 880).
(2) Ps 102, 3 sq.
(3) Mt 6, 13.
(4) Cfr. Pr. Guéranoer, Institutions Liturgiques I (Paris 1880) p. 124 et 152; W. Bosm i'.rr Défense de la tradition p. 051.
(5) Cap. 9 Dhnzinger n. 140.
(6) Jo 12, 31.
(7) Mt 12, 29.
(8) Me 3, 27.
(9) Eph 4, 8,
(10) Ps 67, 19.
(11) Sicut infra ostendetur.

est. Ex eo deinde quod textus iam circa a. 410 Epistolae 21 S. Caelestini I Papae adnectebatur et saltem deinde ab anno 500 ut Sedis Apostolicae doctrina genuina universim agnita est, summam auctoritatem accepit, quae etiam augetur ex frequentiore usu, quem de hoc axiomate alii Summi Pontifices posteriores fecerunt et quidem in solemnioribus documentis Pontificiis, inter quos v. g. *Sixtus V,* Bulla «Immensa», *Benedictus XIV, Pius IX* in Bulla dogmatica de Immaculata Conceptione, *Pius X,* in Motu proprio « Inter pastoralis officii» (1903), *Pius XI* in Constitutione Apostolica «Divini cultus (1928) et alii, etiam absque ulla relatione facta ad S. Caelestinum et tamquam propriam suam persuasionem et doctrinam illud exhibentes, quique hoc axioma in sensu omnino generali sibi vindicant, necnon ex modo, quo phires theologi recentiores nominati eo utuntur, ita. ut eluceat, hanc sententiam nunc esse verbum vere Pontificium idque nunc in sensu generaii proferri posse, ac proinde non immerito quemquam hanc regulam, ut critérium certum, applicare etiam in rebus fidei cuivis assertioni in Liturgia Romana prolatae.

§ 4. - *Dogma quodcumque rigorose verum demonstrari potest ex eo, quod clare exprimatur in Liturgia Ecclesiae Romanae et in Liturgiis earum ecclesiarum, quae Romanae sunt unitae, immo etia/m ex eo, quod in sola, Liturgia Ecclesiae Romanae clare exprimatur.*

Ecclesia catholica ab ipso Domino nostro Jesu Christo columna et fundamentum facta est verae fidei; ipsa Romae suum centrum habet, et sedem capitis, successoris S. Petri, vicarii Jesu Christi. Ipsa sola vera Christi Ecclesia est, cuius est, ut doceat homines veritatem.

Vera autem Christi Ecclesia nec errare nec scienter et publice et continuo errorem profiteri potest nec eum propagare: hanc superna turalem infallibilitatis praerogativam Christus ei asseruit et pollicitus est; huic fidei articulo tota nititur Ecclesiae auctoritas.

Ecclesia vero erraret et portae inferi adversus eam praevalerent, si falsum esset dogma quodcumque in Liturgia Ecclesiae Romanae et multarum aliarum ipsi unitarum clare expressum: Nam secundum praecedentem propositionem quaelibet ecclesia eam tenet doctrinam eamque fidem, quam eius Liturgia dare exprimit. Ecclesia Romana et aliae praedictae ecclesiae falsum ergo dogma in suis Liturgiis exprimentes, hoc ipso illud erroneum dogma tamqnam partem suae doctrinae, et fidei tenerent et profiterentur, ac proinde errarent in fide. Quodsi vero Ecclesiam Romanam et maiorem simul partem caeterarum ec-

clesiarum ipsi unitarum, id est sponsae Christi caput simul cum maiore corporis parte, error invadere posset, ipsa haec Ecclesia Sponsa immaculata et infallibilis non iam dici potest. Cum ergo, e contra, certum sit Ecclesiam catholicam in profitenda fide esse infallibilem, pariter certum est Ecclesiam Romanam simul cum multis aliis sibi unitis ecclesiis non posse dogma erroneum profiteri et propagare; falsum ergo dogma in Liturgiis Romanae Ecclesiae et multarum simul aliarum ecclesiarum sibi unitarum clare exprimi non posse; aliis verbis: ex eo solo, quod dogma quodcumque in huiusmodi Liturgiis clare expressum reperiatur, ipsum recte et rigorose demonstratur verum (1).

Idem ratiocinium alia forma sic exponi potest: Ecclesia catholica errare nequit. Errat autem Ecolesia catholica,, si erret Ecclesia Romana simul cum maiore parte ceterarum ecclesiarum sibi unitarum, una eum istis erroneam tenens fidei doctrinam, quam clare in suis Liturgiis exprimerent; (in praecedenti propositione enim probatum est, a qualibet ecclesia teneri eam fidei doctrinam, quam solita eius Liturgia elare exprimit; ergo, cum Ecclesia catholica errare nequeat, non potest ullum erroneum dogma reperiri clare expressum in Liturgia Ecclesiae Romanae et simul in Liturgiis multarum ipsi unitarum ecclesiarum: ergo ex eo quod aliquid dogma reperiatur in dictis Liturgiis clare expressum, recte, et rigorose concluditur cius ipsius veritas (2).

Hinc colligere licet quanta sit Liturgiae vis et auctoritas in re dogmatica: quando nempe aliqua liturgica expressio dogmatis seu manifestatio universalis est, utpote in Ecclesia Romana et maiore caeterarum ecclesiarum parte usurpata, tanta est eius auctoritas, quanta ipsiusmet docentis et profitentis Ecclesiae catholicae.

Ratio huius datur a Decreto, quod novae Collectioni authenticae Decretorum S. Rituum Congregationis anteponitur, his scilicet verbis: «Quandoquidem Ecclesia, cum Christi coipus sit, vitam Christi vivat, Christi spiritum hauriat eoque agatur; cumque actus et mores, vitae indices, et testes sint; hac de causa quidquid eloquatur, quidquid moliatur, in eo sese effundat seque prodet divina virtus opus est. Hinc illud Innocentii III effatum: singula divinis sunt signata mysteriis, singula animum caelesti voluptate profundunt, singula pietate cient, alunt, fovent » (3).

Verumtamen necessarium non est ad demonstrandam veritatem

(1) Cfr. D. M. Bouix, op. cit. p. 23 sq.

(2) Animadverti debet hic agi de solo dogmate clare in Liturgia expresso, non vero de aliqua doctrina nondum definita vel de pia opinione; quid de illis dici debet, colligas ex iis qute supra p. 74-75 dicta sunt.

(3; lnx"x entjUS **IIi**, Adversus laerrses lib. ull. n. 21 ss.

alicuius doctrinae, ut maior pars Liturgiarum illarum ecclesiarum, quae cum Romana unitae sunt interrogentur:

Ut dogma quodcumque rigorose demonstrari possit verum, sufficit illud clare in Liturgia Ecclesiae Romanae exprimi. Nam, ex praecedente propositione, falsum esse nequit dogma quod clare in Liturgus suis expressum habent, pleraeque cum Romana Ecclesiae. Atqui dogma quodcumque in Liturgia Romana clare expressum, hoc ipso repetitur eodem modo in quamplurimarum ecclesiarum Liturgiis. Orbis catholicus enim, a. 1851, 900 circiter dioecesibus constabat et ex hoc numero ecclesiarum particularium plus quam 760 Liturgiam Ecclesiae Romanae de facto amplexae erant et sequebantur, ut in eximia sua circa rem liturgieam dissertatione, certis documentis probavit *Melchior Dulac.* Quae vero postea erectae sunt dioeceses, prae edurae et vicariatus apostolici ritus latini. omnes Liturgiae Romanae normam et formam acceperunt. Ergo *ex eo solo, quod dogma aliquod reperiatur in Liturgia Romana clare expressum, legitime et rigorose concludi potest eius veritas.*

Eadem praeterea conclusio deducenda venit, etiamsi sola consideretur Ecclesia Romana ac specialis eius inerrantiae praerogat iva. Sedes enim Apostolica seu Ecclesia Romana, ecclesiarum omnium mater et magistra, in docenda doctrina fidei infallibilis demonstratur, et ut talis habetur unanimi doctorum et scholarum consensu. Ista enim fidei expressio et professio, quae fit per Liturgiam, non est aliquid transitorium, sed aliquid omnino permanens et stabile.

Veritas ergo huiusmodi dogmatum, utpote stabilem et permanentem Ecclesiae Romanae doctrinam et fidem testandum, legitime et rigorose concludi potest ex eo solo, quod clare et permanenter in Liturgia Romana exprimantur.

Alias praecellit Liturgia Ecclesiae Romanae: nam, ut ait S. Irenaeus (1): «ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesee est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui undique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea quae ab Apostolis est traditio». Quare Walafridus Abbas (2): «Et Romani quidem », inquit, « usum observationum a B. Petro principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus qua congrua indicata sunt., addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus iam multae gentes imitantur, quia et tanti magisterii ex apice apostolico primordiis clarent, et nulla per orbem Ecclesia aeque ut Romana ab omni faece haereseon cunctis retro temporibus pura permansit ». « Unde tenere quod tenet

(1) S. Ihenafus, Adversus hacrescs lib. 3 c. 4 n. 2.
(2) Wajafiiidus Abbas, Liber de rebus ecclesiasticis c. 22.

Sedes Apostolica vel Ecclesia Romana», ait. P. Renaudin (1), «est semper magni momenti, aeque ac tenere quod tenet Ecclesia catholica, quia Ecclesia universalis, saltem implicite, servat id quod, vi auctoritatis suae, expressis verbis aut etiam implicite, iubet Sedes Apostolica. Notandum vero est, quod, praeter indicia a Summo Pontifice formaliter prolata, Sedes Apostolica et Ecclesia Romana qua talis allerunt normam quandam actualem, quae veluti infallibile Sanctae Sedis testimonium habitualis doctrinae et catholicae traditionis habenda sit. Sequitur autem ex eo, quod Sumini Pontifices, constanter et praecise, veritatem quandam docent tamquam fidei, cui assentiunt fideles, quam clerus agnoscit, et praedicat, praesertim Cardinalium Collegium, quorum adiutorio administratur Ecclesia universalis. Immo hoc testimonium quaedam est regula omnibus fidelibus doctrinam indicans quam Romani Pontifices ab Ecclesia universali volunt amplectendam et retinendam » (2).

Inde appareat quanta valeat de re dogmatica mens Ecclesiae Romanae in libris liturgie.is manifestata. Liturgia enim,,sicut traditio, cuius est pars praecipua, specialem habet auctoritatem in re doctrinali eo ipso, quod in Ecclesia Romana usurpatur. Non sufficit tamen, ut inscribantur libri liturgici « ad usum Ecclesiae Romanae », sed certo constare debet illos ab Ecclesia Romana revera usitatos fuisse, aiit saltem illius Ecclesiae ritus describere et doctrinam in illa servatam tradere.

Quapropter ipsi Summi Pontifices, Concilia, S. Patres, Doctores Ecclesiae, aliique saepe ex textibus et ritibus Liturgiae Romanae vel exponunt veritatem revelatam, vel eam contra haereticos propugnant (3).

Quanta sit in re dogmatica gravit as Liturgiae, in specie dare elucet ex documentis Summorum Pontificum, ex Bullis et Decretis, in quibus festivitates et preces tamquam manifestationes verae fidei ostenduntur. Cuius rei exemplum praecipuum est Bulla dogmatica « Ineffabilis Eleus» Pii IX (a. 1854), quae praecipue ex eo, quod doctrina de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis pluries et variis modis iam per saecula clare in Lit urgia expressa erat, et hoc fleri non potuit nisi propter revelationem divinam iam in Sacris Scripturis contentam, concludit ad definitionem dogmatis, ut infra ostendetur.

(1) P. Renaudin, De auctoritate sacrae liturgiae in rebus fidei, in: Divus Thomas, Freiburg 13 (1935) p. 42.

(2) Cfr. Scheeben, Doginatik I n. 332 ss.

(3) Cfr. infra Caput II.

Caput II.

Summi Pontifices, Concilia, S. Patres, Doctores, alii ex Liturgia vel exponunt veritates revelatas, vel eas contra haereticos propugnant.

Doctrina quae tenet ex textibus et ritibus liturgicis iure ac merito concludi posse ad dogmatis vel doctrinae veritatem, non tantum ratiociniis, sed etiam ex generali Patrum et doctorum sensu, et praesertim ex Pii IX et Tridentinae synodi effatis confirmari potest.

Magna carta huiusmodi argumentationis, demonstrandae scilicet et probandae ex usu liturgico fidei et doctrinae Ecclesiae, est Bulla dogmatica Pii IX, « Ineffabilis Deus », quam a. 1854 occasione definitionis Immaculatae Conceptionis B. M. V. edidit, et quamvis lota in eo sit, ut ex continuo usu et traditione liturgica probet solani fidem et dogma Immaculatae Conceptionis, tamen haec Bulla tot elementa continet, quae valorem habent pro omni ex Liturgia argumentatione, ut ex ea iure ac merito eiusdem Liturgiae valor dogmaticus etiam pro probandis aliis doctrinis in Liturgia clare expressis statuatur er. agnoscatur.

Festum Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis enim, studio et opera Summorum Pontificum in cultu liturgico iam longe lateque celebrabatur, antequam huius fidei dogma sollemniter proclamatum est: quod factum non parvum contulit ad praeparandam definitionem dogmaticam, uti patet ex ipso textu Bullae dogmaticae. Praeterea « in perpetuam rei memoriam » ipse textus huius documenti Pontificii quotannis in lectionibus ad II Nocturnum Matutini infra octavam festi Immaculatae Conceptionis kgi debet, et ita suo modo etiam hoc praecepto valor Liturgiae dogmaticus probatur et proclamatur.

luvat ergo, quaedam argumenta ex eadem Bulla afferre, quae rem illustrent. « Hanc enim doctrinam... ipsa Ecclesia luculentissime signavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit ».

Pontifex, postquam exposuit divini circa generis humani redemptionis consilium, ac partem, quam in eo habet beatissima Virgo Dei Genitrix, allatis quoque rationibus convenientiae pro immunitate eiusdem Virginis ab omni peccato tam hereditario quam personali, ita pergit: « Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem *catholica Ecclesia,* quae a Sancto semper edocta Spiritu *columna est ac firmamentum veritatis,* tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et caelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere numquam destitit. *Hanc* enim *doctrinam* ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam, *ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem jacto ipsius Virginis Conceptionem* voluti singularem, miram et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et *omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret* ».

Id ergo, quod iam antiquitus fidelium animis insitum erat, quodque Antistitum euris et studiis per cat holicum orbem mirifice propagabatur, ipsa Ecclesia sanxit eo, quod hanc veritatem publico fidelium cultui ac venerationi proposuit. Quo facto ipsa Ecclesia hanc persuasionem tamquam aliquod singulare, mirum, sanctum, colendum exhibuit ac proinde tamquam ad suam doctrinam et fidem pertinentem agnovit.

Pontifex pergit deinde in sua argumentatione ex usu liturgico his verbis: « Ipsissima verba, quibus divinae Scripturae d? increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta. Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque *Romana Ecclesia* omnium ecclesiarum mater et magistra fuerit prosecuta, tamen illustria huius Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum *tanta* sit *eiusdem Ecclesiae dignitas atque auctoritas,* quanta illi omnino debetur, *quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet.* Itaque eadem *Romana Ecclesia* nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis immaculatam Virginis Conceptionem, eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare ».

Tota huius argumentationis vis stat in eo, quod Ecclesia Romana, « omnium ecclesiarum mater et magistra », « catholicae veritatis et unitatis centrum », « in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio », « et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur

oportet », cultum et doctrinam Immaculatae Conceptionis asserit, tuetur, promovet et vindicat, idqne praecipue in publico suo cultu, id est in Sacra Liturgia. Ut Ecclesia qua talis vero aliquid falsi fidelibus proponere et inter eos propagare non potest. Illud ergo factum, quod in suo cultu celebrat, quodque aliis ecclesiis celebrandum et profitendum, ac proinde credendum imponit, non potest esse falsum, sed debet verum esse.

Enumerantur deinde in citata Bulla singula facta, quae demonstrant, non tantum, quid Romani Pontifices ordinaverint quoad celebrandam in cultu divino Immaculatam Conceptionem, sed etiam quomodo haec fidei veritas de facto in Liturgia celebrata sit, idque iussu vel explicita approbatione Sedis Apostolicae. « Enim vero », ita pergit Pius IX in citato suo documento, « praedecessores nostri vehementer gloriati sunt, *apostolica* sua *auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere,* ac *proprio Officio, propriaque Missa,* quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare, sive erogatis *indulgentiis,* sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque, ut Deiparam sub titulo immaculatae Conceptionis *patronam* sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus, religiosisquo familiis ad immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, *altaria, templa* sub immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis *festum ab omni Ecclesia esse habendum* eodem censu ac numero quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum *cum octava* ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam capellam in patriarchal! nostra Liberiana basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de immaculatae Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut *in Lauretanis Litaniis,* et *in ipsa Missae Praefatione* immaculatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo *lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur* ».

Quae varia facta omnia optime elucidant id quod supra iam expositum est: esse scilicet Sacram Liturgiam non tantum ordinarium Ecclesiae magisterii organum, ac proinde eam demonstrare fidem Ecclesiae, sed eam esse etiam praepotens evangelizationis strumentum. Eo enim, quod toties, in diversissimis occasionibus cultus fideles de Immaculata Conceptione Virginis admonentur, « ipsam doctrinam in sucum et sanguinem imbibunt » eamque tamquam familiarem, immo naturalem habent. Ex altera parte varia illa facta, quibus Liturgia celebrat Virginis Conceptionem, optimum sunt argumentum

pro veritate huius doctrinae, quam Ecclesia iam dudum quieto possessu possidet.

« Quoniam quae ad cultum pertinent », ita Pontifex prosequitur in Bulla, « intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, *neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur,* idcirco decessores nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam obiectum ac doctrinam declarare et inculcare impensissime studuerunt ».

Reiectis deinde aliquibus falsis opinionibus circa obiectum festi, (addit Pontifex: Decessores nostri «non solum nullatenus passi sunt, (ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi, perspicuis declarationibus iteratisque vicibus edixerunt: Doctrinam qua immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem, et eiusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa liturgia, solemnioribusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam, sive publice, sive privatim, defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt ».

Ex continuo ergo cultu liturgico, quem Summi Pontifices studio et opera augere non dubitaverunt, Pius IX concludit tamquam ex fonte securo et maxime valido praeter aliam traditionem ecclesiasticam, doctrinam quae tenet immaculatam Conceptionem B. Mariae Virginis, quamque Liturgia Romana clare proponit et celebrat, esse veram ac proinde ab omnibus fidelibus credendam.

Quod vero hic in singulari aliquo casu a suprema in Ecclesia modo solemnissimo definitum est, hoc eodem modo valet de aliis veritatibus fidei, quae clare et constanter in Sacra Liturgia exprimuntur. Unde similia argumenta recurrunt v. *g.* in documentis Pontificiis quoad institutionem festorum novissimorum, scilicet SS. Cordis Jesus, Christi Regis, Maternitatis B. Mariae Virginis, vel Missae Summi et Aeterni Sacerdotis, aliorumque.

In Assumptione B. M. V. licet nondum sit solemniter definita, aliud exemplum firmius ac magis demonstrativum offertur. Etenim, in honorem Assumptionis corporalis B. M. V., iam pluribus saeculis ante festum Immaculatae Conceptionis, dies solemnis agebatur qui vetustiorem traditionem exhibebat iam saeculo sexto. Ita legitur in libro Sacramentorum S. Gregorii Magni: «Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium

tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit et regnat, Deus... ».

Sedulo notandum quod si, ut ait Pius IX: « quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur », praebet liturgia pro Assumptione certam traditionem antiquiorem universalioremque quam pro Immaculata Conceptione et a nullo theologo impugnatam, ita ut nemo de Assumptione liturgicum testimonium reiicere possit.

Quod Summi Pontifices de Liturgia Sacra eiusque relatione ad fidem Ecclesiae professi sunt, hoc idem interdum claris verbis etiam a Conciliis tum oecumenicis tum provincialibus vel dioecesanis confirmatur, quae et ipsa ex usu liturgico argumenta valida desumpserunt.

Contra Armenos, qui non admiscebant in Missa aquam vino, quia non accipiebant duas naturas in una persona Christi, *Concilium Quinisextum* can. 32 affert testimonium Liturgiae S. Basilii et S. Jacobi (1); contra Pelagianos *Concilia Africana et Galliae saec. V* afferunt exorcismos antebaptismales, ut inde demonstrent peccatum originale, necnon et Orationes Missae, ut inde necessitatem gratiae probent (2). Pro cultu ss. Imaginum Patres *Concilii* oecumenici VII (Nicaeni II) fortius argumentum ad recte decernendum de quaestione proferre nesciebant nisi continuam in cultu praxim colendi ss. Imagines, praesertim cum ex Sacra· Scriptura argumentum validum afferre nequirent et etiam S. Patres parce de hae re scripserant.

Contra Adoptianismum *Concilium Fra/ncofortiense* tempore Alcuini (3) recurrit ad textus Liturgiae Romanae.

Liturgiam Romanam valere ad dogmatum veritatem rigorose probandam, constat deinde ex *Tridentina synodo:* in Sess. 6 capite 10, in Decreto de iustiflcatione, sacrosancta Synodus statuit Consensum inter Ecclesiam credentem et Ecclesiam orantem; sententia: « *Homo* per actum iustificationis noviter creatus *crescere debet in gratia iustificante »,* demonstratur locis e Sacra Scriptura desumptis. Deinde pergit Concilium: « *Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia,* cum orat: da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis argumentum » (4). Ex quo textu sic argumentari licet: precatio citata: Da nobis... etc. est Collecta missalis romani Dominicae XIII post Pentecosten. Collectam autem illam, dicit sancta synodus, esse *orationem Ecclesiae;* hoc enim

(1) Mansi II, 958.

(2) Cfr. W. De Vries, Lex supplicandi-Lex credendi. «= Ephemerides Liturgicæ 47 (1933) p. 57.

(3) Cfr. infra argumentationem Alcnini.

(4) Dominica XIII post Pentecosten, Collecta; Denzingeb n. 803.

aequivalenter exprimunt verba ista: Hoc petit Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine.* Ergo Tridentina synodus supponit orationes Liturgiae Romanae esSe ipsiusmet Ecclesiae orationes; ac proinde his orationibus exprimi sensum et doctrinam Ecclesiae catholicae; ac proinde posse ex ipsis tutissime concludi veritatem doctrinae quam exprimunt. Insuper Concilium hic videtur velle argumentare ex Li-Iturgia, saltem ut. corroboret argumentationem ex Sacra Scriptura. Sacra enim Scriptura testatur gratiam sanctificantem (iustificantem) crescere; Ecclesia vero petit pro eadem re. Ambo argumenta proferuntur àd documentandam doctrinae enuntiatae. Haec ergo verba Ecclesiae possident valorem dogmaticum, quem Tridentina Synodus alibi expressis verbis affirmat.

Idem enim erui potest ex sequenti eiusdem synodi textu (1): «Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem (scii. Missae) multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat: is enim constat, cum ex ipsis Domini verbis, tum ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus»; unde sess. 22 can. 6 addit: «Si quis dixerit canonem missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit» (2). Sedulo animadvertendum est canonem Liturgiae Romanae maxima ex parte constare formulis a Romanis Pontificibus institutis vel ab aliis Pontificibus, Sancta Sede postea approbante. Nam praeter paucula verba consecrationis et orationem *Pater noster,* et praeter ritus quosdam ab ipso Domino in (’aena novissima et ex traditione apostolica acceptos, caeterae duodecim precationes variis temporibus paulatim a Romanis Pontificibus additae atque praescriptae sunt. In Liturgiis autem orientalium omnino diversae sunt. Nihilominus Tridentina synodus pronuntiat canonem illum omni errore purum, ea ex ratione, quod constet sanctorum Pontificum piis institutionibus, et anathemate percellit eum qui diceret canonem missae errores continere. Ergo sancta synodus supponit errorem reperiri non posse in iis precationibus et ritibus quibus constat Romanae Ecclesiae Liturgia... Quod idem est ac si dixissent: non enim erroneae esse possunt liturgicae formulae quas sancti Pontifices pie instituerunt.

Ad confirmandam vim argumentationis dogmaticae et theologicae ex Liturgia audiantur quaedam aliae testimoniorum voces, et primo

(1) Sessio 22 cap. 4 Uexzixoek 9+2.
(2) Dbxzixgeh 953.

quidem S. Patrum et Ecclesiae Doctorum, qui generatim tenuerunt posse ex Liturgiis dogmatum veritatem demonstrari; sufficiat audire aliquos ex praestantioribus (1).

*S. *Hilarius* et S. *Ambrosius* in disputationibus Arianis pro doctrina Christiana propugnanda invocant testimonium hymnorum, qui Christum Jesum ut verum Deum glorificant.

S. *Augustinus,* contra Pelagianos et Semipelagianos, perpetu.» urget argumenta ex Liturgia desumpta, praesertim orationes a sacerdotibus dictas, ut probet tum initium fidei a Deo venire, tum donum perseverantiae.

S. Augustinus in libro De dono perseverantiae c. 23 (2) monachis semipelagianis Massiliensibus, qui suam de gratia doctrinam aggressi erant, ita respondit: « Utinarn tardi corde et infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt, Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent m hac quaestione disputationes nostras, ut magis *intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia* ab exordiis suis, doiiec finiatur hoc saeculum. *De hac enim re, quam nunc adversus novos haereticos* non commemorare tantum, sed *plane tueri et defensare compellimur,* numquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius ut crederent ? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, et non ei petivit a Domino mentem oboedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi miquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit.· « *Da illis, Domine, in te perseverare usque in finem* », non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potius super talem eius benedictionem, et corde credente et ore confitente respondit: Arnen, cum aliud in ipsa oratione dominica non orent fideles, dicentes maxime illud: Ne nos inferas in tentationem, m'si ut in sancta oboedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, *ita* et in hac fide nata est, et crescit, et crevit Ecclesia, qua fide creditur gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet et aversas et adversas hominum ad se convertere voluntates: *nec oraret Ecclesia* ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, *nisi crederet* Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut *bonum,* quod non tenemus nisi propria vo-

it) Cfr. D. M. Bourx, Tractatus de iure liturgico (ed. 3. Paris 1873) p. 25 ss; Job. Brinktrine, Der doginatiscbe Beweis aus der Liturgie = Scientia Sacra p. 231-240.

(2) PL 15, 1031 a.

luntate, *non* tamen *teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle.* Nam si haec ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet : quod absit nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere, quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo? Praesertim quoniam quid loremus, sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus, ait Apostolus, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim scrutatur corda, scit, quid sapiat Spiritus, quia secundum Deum interpellat pro sanctis (1). Quid est: ipse Spiritus interpellat, nisi interpellare* facit, gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus»?

S. Doctor hoc ergo loco duas sententias probare intendit: *a)* conversionem provenire non ab homine, sed a Deo; *b)* esse gratiam perseverantiae. Pro ambabus thesibus argumentatur ex orationibus Ecclesiae: ipsa orat pro conversione infidelium, orat etiam pro gratia perseverantiae. Tota argumentatio nititur precationum universali in Liturgia adhibitarum usu, auctoritate et infallibilitate. Iluiusmodi orationibus posse aliquid falsi snbesse, Episcopus Hipponensis non tantum non admittit, sed cum horrore Teiicit « absit a nobis ». Particularis valoris est Sanctum Doctorem sublineare intimum nexum inter orationem et fidem: «Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est, et crescit, et crevit Ecclesia ». Oratio, qua orat Ecclesia, espressio est eiusdem fidei. « Non oraret Ecclesia, nisi crederet ».

Eodem ratiocinio S. Doctor utitur, ut Vitali semipelagiano persuadeat initium fidei esse donum Dei, nec. nostro tantum libero arbitrio tribuendum (2). Argumentum desumit ex orationibus liturgicis: qui non agnoscit doctrinam in Orationibus suppositam et expressam, contradicit puritati fidei; oratio ergo et fides arcte eonnectuntur.

« Dic ergo apertissime nos pro his, quibus evangelium praedicamus, non debere orare, ut credant, sed eis tantummodo praedicare. Exerce contra *orationes Ecclesiae* disputationes tuas, et, quando audis sacerdotem Dei ad altare Dei exhortantein populum Dai orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo, quod esse coeperunt, eius munere perseverent, subsanna, pias voces, et dic te non facere, quod *hortatur,* id est Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare eo quod non sint ista divinae miserationis beneficia, sed humanae officia voluntatis ». Paulo post in eadem Epistola, n. 2(5, sic prosequitur: « Numquid et orare prohibetis ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles, pro his qui nolunt credere, ut velint credere, pro his qui ab eius lege doctrinaque dissentiunt, ut legi eius doctrinaeque consentiant, ut det illis Deus quod per prophetam promisit, cor cognoscendi eum et aures au-

(1) Rom 8, 26 s.
(2) Augustinus, Epistola 217, 2 (ad Vitalem) (CSEL 104, 401).

dientes, quas utique acceperunt, de quibus Salvator ipse dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat? Numquid, ubi audieris sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad Deum orandum vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis: Arnen? aut etiam *huius fidei sanitati contraria* disputabis.' » (1). Orationes ergo Ecclesiae demonstrant eius fidem.

Contra lulianum episcopum Eelanensem, putantem infantes carere peccato originali, S. Augustinus tenet etiam neonatos iam contraxisse reatum peccati originalis ac proinde dominio diaboli subesse: Ecclesia enim exorcismis antebaptismalibus liberat baptizandos e potestate diaboli; pro qua sua thesi argumenta sua ergo iterum desumit ex Liturgia, et quidem tum ex verbis exorcismi tum ex ritu baptismal!, scilicet ex exsufflatione.

«Illud etiam», ait aliquando(2), «quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli, sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc vere appareat, quomodo princeps huius mundi mittatur foras » (3).

Alio loco (4) vero pergit: Quae Ecclesia (catholica) « *filios fidelium non exorcizaret, nec exsufflaret,* si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret; quod in libro meo, cui vehit respondes (= .Julianus), a me positum est (5): sed id lu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic *exsufflationi qua princeps mundi et a parvulis eicitur foras,* contradicere voluisses ».

Pariter in libro *De peccatorum meritis et remissione,* Sanctus Doctor ex Liturgia in conferendo Baptismate adhiberi solita, confutat haereticos, qui originalis peccati dogma negabant: « Quid de ipsa forma sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt,- mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cuius in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus? Credere inter caetera remissionem peccatorum, quae illi nulla tribueretur? Ego quidem, si contra haec eum sentire existimarem, nec ad sacramenta cum parvulo intrare permitterem ». Refert postea Augustinus, quomodo aliqui ex iis, qui peccatum originale negabant, victi auctoritate forma-

it) Augustinus, Epistola 217 (ad Vitalem) p. 421 *sq.*

(2) PL 50, 535.

(3) Simili modo Concilia Africae et Galliae saeculi V contra Pelagianos afferunt,tamquam argumenta valida, exorcismos antebaptismales, ut inde demonstrent peccatum originale, necnon Orationes Missae, ut indo necessitatem gratiae probent.

(4) Augustinus, Contra Julianum 6, 5 (PL 44, 829).

(5) Augustinus, De nuptiis et concupiscentia 1, 22.

larum et rituum baptismatis, aliud effugium excogitassent; confitentes nempe parvulum recens natum in peccato quidem esse, sed in peccato, quod ipse, quantumvis parvulus, iam in hanc vitam ingressus commiserit: « Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam, in qua sonaret atque agi videretur, et tamen nulla fleret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil exsecrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri... Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita iam propria, posteaquam nati sunt peccatum habere coeperunt» (1).

Ex quibus S. Augustini textibus patet ipsi omnino persuasum fuisse quod supra sustinuimus; nempe: 1° Liturgiam esse quandam dogmatum et fidei expressionem et publicam professionem; 2° nefas esse in dubium vocare doctrinam, quam exprimit Liturgia universaliter in Ecclesia catholica vigens; 3° ex liturgia proinde huiusmodi, recte et rigorose concludi veritatem dogmatis in ea expressi; hinc 4° ipse pluries ex textibus et ritibus liturgicis valida desumit argumenta, et 5° iam affert prima quaedam rudimenta speculativo-theoretica quibus confirmet thesim suam: interne enim cohaerent Ecclesiae fides et oratio.

Eandem constat fuisse *S. *Hieronymi* mentem. Tn suo Dialogo contra Luciferianos, qui est colloquium inter orthodoxum et Luciferianum, sectae alicui gnosticae Manichaeorum adhaerentem, ad Liturgiam tamquam ad decisivam appellat pro sua persuasione, secundum quam mos ubique in Ecclesia vigens post Baptismum invocandi Spiritum Sanctum super baptizatos, ritus ergo Confirmationis, idem valet quod testimonium explicitum Sacrae Scripturae.

Postquam enim cum eo disputavit de S. Eucharistia et de Baptismo, confirmat (2): «An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. *Etiam si Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret.* Nam et multa alia quae per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt ».

Fabius *Marius Victorinus,* auctor africanus saeculi IV, haereticis Arianis tamquam probationem rectae fidei opponit quandam formulam liturgicam, tunc temporis apud ecclesias africanas in Missa adhiberi solitam; ait enim: «Sicut in oblatione dicitur: munda tibi populum circumvitalem, aemulatorem bonorum operum, circa tuam substantiam venientem » (3).

(1) Augustinus, De peccatorum meritis et remissione 1, 34 (PL 11, 146).
(2) Hieronymus, Contra Luciferianos 4 et 8 (PL 23, 163).
(3) Marius Victorinus, Adversus Arium I.

Ab antiquis Ecclesiae Patribus, si ad sequentium saeculorum Doctores gradum faciamus, eadem doctrina occurrit multis monumentis consignata.

Petrus Diaconus appellat ad Liturgiam S. Basilii, ut ostendat veritatem Scripturarum esse tenendam (1).

Ex Liturgia argumentatur etiam *Remigius Lugdunensis* (2).

Inter eos, qui saeculo VIII haeresim cliristologicain Adoptianoruni impugnant, eminet *Alcuinus* (3). Ut thesim suam demonstret, invocat testimonium Liturgiae *Romanae,* quae in comparatione cum Liturgia particulari Hispaniae quam adversarii in suum favorem adduxerant, propter eiusdem characterem universalem maiorem habet auctoritatem. Agitur de duobus opusculis *Adversus Felicem* et *Adversus Elipandum*.

Iam illud factum, quod Felix, Urgellensis episcopus, errorem suum de filiatione Christi argumentis ex Liturgia depromptis tentabat defendere, quamvis frustra, probat generalem persuasionem, a Liturgia ad dogmatis veritatem recte illationem fieri. Alcuinus revicit opusculum Pelicis, qui pro sua doctrina haeretica praeter S. Scripturam et S. Patres etiam episcopos Hispaniae cum eorum Liturgia sibi in testes assumpsit, et Romanam Liturgiam affert: « Nos autem », inquit, « Romana plus auctoritate quam Hispana veritatem *(JHigne:* veritate) assertionis et fidei nostrae fulciri desideramus... Unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universa dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quae a catholicis et recte credentibus sequenda esse probatur, se per Filium Dei et in Missarum solemniis et in caeteris quoque omnibusque scriptis suis vel in epistolis fateri solet... » (4). Eam omnes orthodoxi sequi debent. Ad probandum ipsam vero in solemniis et precibus suis liturgicis profiteri Jesum Christum verum esse Filium Dei, Alcuinus affert quinque Orationes Missae, ex quibus tres depromptae sunt ex Sacramentario Gregoriano, inter quas etiam Collecta Missae III Nativitatis, prout hodiedum in Missali Romano invenitur (5).

Elipandus « venerabiles patres Toletanos » tamquam testes adierat eorumque Liturgia usus erat. Alcuinus critice examinat Orationes Missae allatas (6) et S. Gregorium Magnum tamquam testem assumit,

(1) Petbus Diaconus, De tenenda veritate Scripturarum p. 21C.
(2) M. Bouix, op. eit. p. 29.
(3) Alcuinus, Adversus Felicem 7, 13 (PL 101, 226 sq.).
(4) PL 101, 226 sq.
(5) Cfr. II. Wilson, Sacramentarium Gregorianum (London 1915) II. 101, 47.
(6) Alcuinus, Adversu® Elipandum 2, 9 (PL 101, 266).

ut doctrinam errolieam refutet. « Sed sciendum est vobis », ait, « quod longe aliter beatus Gregorius venerabilis et probatissimus in fide catholica doctor *orationes in celebratione et oraculis missarum...* plurimis composuit locis. Ait enim in Missa... « et sequuntur tamquam exempla quattuor Orationes Missae, ex quibus tres in Sacramentario Gregoriano inveniuntur, quarum unam Orationem feriae II Maioris Hebdomadae, Alcuinus citat tamquam « Orationem ad Palmas »; quarta, scilicet feriae VI ad S. Crucem, invenitur in « Libro Sacramentorum » ipsius Alcuini (1).

Saeculo XI *Lanjrancus,* et praesertim *Guitvwndus* Aversanus (2) argument is liturgicis impugnaverunt Berengarium, quando ausus est Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia veritatem negare, et doctrinam de reali Christi in SS. Sacramento praesentia ex Secretis et Postcommuniouibus Sacramentarii Romanae Ecclesiae defenderunt.

Ita, v. g. hoc modo arguit: Singuli vere accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur.

« Panis ac vini substantia carnem Christi et sanguinem invisibili potentia quotidie per sacramenti sui sanctificationem operatur (Spiritus Sanctus) » (3); « ex panis vinique substantia efficitur; ex substantia panis ac vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecratur » (4); « substantia panis et vini Christi (in) carnem et sanguinem efficaciter interius commutatur » (5), «cum profero verba canonis et verbum transsubstantiationis » (6). « Tantundem esse in una quasi portiuncula », ita alibi arguit, ' quantum ei«t in tota hostia... tota hostia est corpus Christi, ut nihilominus unaquaeque particula separata sit totum corpus Christi (7). Ad explicandum hoc mysterium augustissimum, hoc argumento utitur: Sicut animae nostrae dedit « potentiam, ut una eademque et indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis, eodem tempore tota consistat :>, « quare suae propriae carni id dignitatis si vult dare, non valeat, ut ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul et indivisa possit habere... Si igitur potest efficere... ut unaquaeque separata particula est totum Christi corpus, et tamen omnes separatae, non plura sint corpora, sed unum corpus... quemadmodum vox... et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam praebeat singulis, non plures tamen, sed una est anima » (8).

(1) Cfr. H. Wilson, l. o. 46. 47. 74 et PL 101, 454.

(2) Cfr. Patk. Shaughnessy, The Eucarist doctrine of· Guitmond of Aversa (Diss. Anselmiana, Roma 1939).

(3) Guitmondus, De veritate corporis ct sanguinis Domiiii in Sanctissima Eucharistia 3, 4 (PL 120, 1277 B).

(4) Ibd. 4,1 (1278 B).

(5) Ibd. 8, 2 (1287).

(6) Cfr. P. Shaughnessy, op. cit. p. 113 nota 194.

(7) Guitmondus, Ibd. (1434 A).

(8) Ibd. 1435 D — 1436 D.

Claris etiam verbis affirmat: «Dico te accipere*Christi coipus in eo, quod aliud vides, in pane consecrato » (l). «Novat», quicumque baptizatus, interius, qui reficitur, rem ipsam, i. e. Corpus Christi et Sanguinem ingerat, sibi manducat et bibat... » (2). Similiter et aliis verbis arguit ex rebus, factis et dictis liturgicis ad fidem et doctrinam Ecclesiae, ut in fine his concludat verbis: « Confitetur enim Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, panem et vinum ad sacrandum proponi in altari sed inter sacrandum, incomprehensibiliter et ineffabiliter in substantiam carnis et sanguinis commutari » (3). Etiamsi nihil aliud adderemus, sola tibi catholicae fidei sufficere generalis consuetudo deberet. *Illa enim sola firmissime tenenda est fide,* etiamsi valde impugnetur, *quae catholica est» (fi).* Quod ergo in cultu universalis Ecclesiae agitur ac proinde creditur et enuntiatur, hoc firmissime tenendum est tamquam fides catholica.

S. Bernhardus, abbas Claraevallensis, deinde, ut probet, B. Mariam Virginem iam sanctificatam fuisse, cum nasceretur, illud factum adducit, quod Festum Nativitatis eiusdem Virginis ab Ecclesia, quae in hac re errare non posset, celebratur tamquam dies sanctus.

Ait enim (5): « Sed et *ortum Virginis* didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere *festivum atque sanctum;* firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse ut sancta prodiret. Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini as.-.e negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et Mater Domini ante sancta, quam nata: *nec fallitur omnino sancta Ecclesia,* sanctum reputans ipsum Nativitatis eius diem, et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens ».

Haec cursim de mediae aetatis auctoribus indigitamus, ut locum servemus gravissimo doctorum scholae testimonio, quorum agmiui praeeat *S. Thomas.* Nam princeps quoque inter theologos, divus Thomas, saepius utitur Liturgia, ut ex ea valida hauriat argumenta ad probandas veritates dogmaticas. In omnibus et singulis propemodum, tractatibus (de Deo, de Christo, de beata Virgine, de Sacramentis, de Novissimis, de vita morali) quam plurima afferuntur testini nia liturgica ex Missae Canone, Collectis, Secretis, ex Breviarii Hymnis,

(1) De sacra Cocna adversus Lanfrancum, liber posterior, p. 186; Shaughnessy, p. 103 nota 83.

(2) Ibd. p.' 225; Shaughnessy, ibd.

(3) Guitmondus, De veritate corporis et sanguinis Domini 8 (PL 150, 419 A).

(4) PL 149. 1469 A.

(5) S. Bernardus, Epist, 174, 4 sq. Ad canonicos Lugdunenses (PL 182, 333 sq).

Lectionibus, Antiphonis, Responsoriis, Litaniis desumpta (1), quibus veritas comprobatur ac illustratur, et quidem haud raro ita, ut Angelicus Doctor ea eodem modo adhibeat, quo et Sacram Scripturam sive quod simpliciter citet ipsum textum liturgicum, quin indicet locum, ubi habeto, vel genus, ad quod pertinet, v. g. Collectam, Hymnum, Antiphonam, etc., sive quod *expressis verbis dicat, se citare hunc vel illum determinatum textum liturgicum* ex tali et tali Oratione, Hymno, Antiphona, etc.: quo modo agendi ei etiam eundem valorem attribuere videtur, quem etiam aliis locis theologicis attribuit.

Ut quaedam exempta afferam: sicut S. Bernhardus, ita et ipse *ex instituto in Ecclesia Nativitatis B.* Jf. *V. festo dogmatice concludit beatam Virginem sanctifi.·atam fuisse in utero, antequam nasceretur.*

Propositis enim in contrarium obiectionibus, quas ita comprehendit: « Videtur quod beata Virgo non fuerit sanetifieata, ante nativitatem ex utero », •subdit hoc modo (2): « Sed contra est, quod *Ecclesia celebrat Nativitatem Beatae Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesiae nisi pro aliquo Sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta.* Fuit ergo in utero sanetifieata ».

Etiam in sequenti articulo (3) S. Thomas supponit Liturgiam esse fontem cognitionis dogmaticae, addit tamen suas difficultates et praecisiones. Agitur enim de quaestione tunc temporis nondum decisa ac controversa, an Beata Virgo fuerit sanetifieata in sua conceptione seu, uti dicebant, ante animationem vel tempore animationis tantum. S. Doctor sustinet Beatam Virginem non fuisse sanbtificataxn ante animationem; ad probandam hanc suam thesim non respexit usum aliquarum ecclesiarum particularium, quae admittebant festum Conceptionis, sed usum Ecclesiae universalis, quae illud nondum celebrabat. Ex eo ergo, quod festum Nativitatis universaliter celebrabatur, S. Thomas concludebat, Nativitatem B. M. V. fuisse sanctam; eius vero Conceptionem fuisse immaculatam, pro certo non concludebat ex festo Conceptionis, quod suo tempore ab Ecclesia Romana non celebrabatur, sed tantum ex tolerantia in aliquibus locis; insuper putabat per illud festum non clare exprimi dogma conceptionis immaculatae.

Ait enim (l. c. III, 27,2): « Praeterea, sicut dictum est, *non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta;* et ita quod ante anima-

ti) Cfr. H. Hering, De loco theologico Liturgiae apud S. Thomam = Pastor bonus 5 (1911) 45G-464; J. Brinktrine, Der dogmatischc Beweis aus der Liturgie (l. c.) 253 sq; I). Bouix, l. c. 30 es; M. Procacciant i, Lex orandi-Lex credendi (MScr.) l». 39-41.

(2) S. Thomas, S. th. III, 27, 1.

(3) Ibd. III, 27. 2.

tionem fuerit sanctificata ». Difficultati quae sibi oritur exinde, respondet hoc modo: « Ad tertium dicendum, quod *licet, Romana Bcelesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum, illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda* ».

Eius difficultas apparet etiam ex verbis in libro Quodlibetana 6 art. 7 (si eius sunt, quia utrum revera sint doctoris angelici, disputatum est) allatis: « Quamvis autem Beata Virgo in originali peccato concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata antequam nata. Et ideo circa celebrationem conceptionis eiu» diversa consuetudo ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimae aliae, considerantes conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. Aliqui vero, considerantes sanctificationem eius in utero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem ; creditur enim quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem ratione conceptionis, sed potius ratione sanctificationis ».

Secundum aliquos auctores (1) opinio non caret fundamento, quae tenet, S. Thoinam non negasse Immaculatam Conceptionem. Secundum modum dicendi et cognoscendi illius temporis enim putat animationem fieri solum aliquot dies (40-80) post conceptionem. Verumtamen quoad hunc modum argumentandi difficultatem habet ex eo, quod in aliquibus ecclesiis celebratur festum Conceptionis Mariae. Ipsum enim festum, quod, quamvis non Ecclesia Romana, tamen aliquae ecclesiae, Roma id tolerante, celebrant, ipsimet videtur esse argumentum contra propriam suam opinionem. Tenet enim tamquam validum argumentum, quo a liturgiis ad doctrinam in eis expressam fit illatio. Unde, ne proprio suo principio damnum inferat, huic festo potius aliam supponit significationem, dicendo: «Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis Cîlebratur, datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta; sed, quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam Conceptionis in die conceptionis ipsius ».

Doctor Angelicas ergo etiam hoc loco tenet principium, doctrinam aliquam veram esse, quae in celebratione Liturgiae exprimitur. Quamvis enim agatur non de aliqua celebratione Ecclesiae universalis, sed solum aliquarum ecclesiarum particularium, tamen ex usu liturgico argumentum validum proferri posse consentit et in facto celebrationis argumentum admittit contra suam propriam ac personalem opinionem. Praetera in B. Virgine perfectissimam esse virginitatem ex eo concludit, quod in Litaniis Lauretanis nominatur *Virgo Virginum* (2). Eam orgo purissimam esse admittit.

Qiiamvis ergo S. Doctor ultimam solutionem nondum admisit, tamen nemo est qui non videat, eius argumentationem definitioni huius dogmatis

(1) Cfr. C. M. Schneider, Die Unbefleekte EmpfitnguiH und dic Erbstlude (Regensburg 1892) 74 ss.

(2) S. Thomas, Suppl. 9G, 5, obieet. 2.

viam praeparasse, vel saltem aliquid attribuisse ad subsequentem definitionem. Imo dubium non est quin S. Thomas, si festum Conceptionis universaliter ut hodie celebratum, et obiectum ipsius (immaculatam nempe conceptionem) apud omnium mentes clare expressum reperisset, eamdem deduxisset conclusionem ac circa nativitatem. Quemadmodum enim sanctus doctor suo tempore sic ratiocinatus est: «Celebratur festum Nativitatis; ergo sancta fuit nativitas», ita hodie diceret: «Celebratur festum Immaculatae Conceptionis: ergo immaculata et ab originali peccato immunis fuit conceptio ».

Particularis valoris pro quaestione de valore dogmatico Liturgiae est etiam alius locus S. Tholnae. Saeculo XII discutiebatur quaestio, utrum transubstantiatio Hostiae in Missa fieret statim post verba super panem dicta, an post consecrationem vini tantum. In Commentario suo ad 1 Cor (cap. XI, 1, lectio VI) S. Doctor proponit sententiam Hostiam transubstantiatam esse immediate post verba consecratoria super panem prolata. Pro qua sua sententia argumentum desumit ex Liturgia: « Alioquin sacerdos peccaret statim post verba consecrationis proponens hostiam non consecratam populo adorandam, nisi iam esset corpus Christi, quia induceret populum ad idololatriam ».

S. Doctor ergo Liturgiam practice agnoscit tamquam locum theologicum: ex existontia certorum quorumdam festorum (Nativitatis et Conceptionis B. M. V.) necnon ex determinato aliquo ritu (ex elevatione S. Hostiae) deducit consequentias dogmaticas.

Non aliter res se habet in aliis quaestionibus theologicis tunc tempore agitatis.

Expositis variis de numero praedestinatorum opinionibus, secundum quas tot homines salvabuntur, quot angeli ceciderunt, vel quot Angeli fideles manserunt, S. Thomas rem ex Collecta *Pro vivis atque defunctis* his verbis solvit; « Sed melius dicitur, ait, quod *soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus*» (1).

Alibi iterum ex Collecta Dominicae X post Pentecosten sibi facit hanc obiectionem: « Dicitur do Deo, quod *omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat.* Ultimum igitur quod potest divina potentia, est parcere et misereri. Aliquid autem est multo maius quam parcere et misereri, scilicet creare alium mundum. Ergo Deus non est omnipotens». Ostendit deinde in sequentibus syllogismis, quomodo huic obiectioni obviari possit (2).

Contra obiectionem relationem in Deo non esse idem quod eius essentiam, ita instituit argumentum: » Si in D^o relatio non est divina essentja, est creatura, et ita ei non est adhibenda adoratio latriae », « Contra quod in Praefatione (de SS. Trinitate) cantatur: ut in personis proprietas, et in essentia

(1) S. Thomas, S. th. I. 23, 7.
(2) Ibd. I, 25 objectio 3.

unitas, et in maiestate adoretur aequalitas» (1). Ergo etiam relationes, seu Personarum proprietates, adorandae sunt.

Pluries desumit argumenta pro Dei existentia eiusque qualitatibus ex Symbolo Athanasiano. Ita pro eo, quod Personae divinae sint immensae, i. e. certo numero non mensurandae, affert Symbolum, his verbis: « ut patet per Athanasium: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus» (2); item probat Trinitatem esse in divinis Unitatem ex symbolo Athanasiano, secundum, « quod unitas in trinitate et trinitas in unitate veneranda sit » (3).

Alibi solvit difficultatem, quae oritur ex Hymno Angelico *{Gloria in excelsis),* in quo secundum interpunctionem legendum esse videtur: « Tu solus altissimus Jesu Christe » et explicat: « Non dicimus absolute quod solus Filius sit altissimus, sed quod sit *solus altissimus cum Spiritu Sancto in gloria Dei Patris* » (4); videt ergo recte in textu et contextu glorificationem totius SS. Trinitatis.

Alias veritates iterum probat ex Orationibus Ecclesiae.

Ex Oratione Completorii, in qua dicitur (5): « *Angeli tui sancti, habitantes in ea, nos in pace custodiant », probat contra philosophorum obiectiones Angelos esse in loco* (6), idque deinde explicat.

Ut probet misericordiam esse maximam inter virtutes, ex Collecta de peccatoribus necnon ex Collecta Dominicae X post Pentecosten ita argumentât: « Unde et misereri ponitur proprium Dei (7); et in hoc maxime dicitur eius omnipotentia manifestari (8) » (9).

Inter sensibilia, quae devotionem causant, « praecipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione (Nativitatis Domini) dicitur: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur »(10).

Oratio ad Deum dirigitur eique porrigitur quasi per ipsum implenda, Sanctis quasi per ipsos impetranda, quae petuntur. Quod « etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam a Sancta Trinitate petimus, ut *nostri misereatur;* ab aliis autem sanctis petimus, ut *orent pro nobis»* (11).

Ex Responsorio VII in Officio Defunctorum *{In inferno nulla est redemptio)* S. Thomas probat aeternam damnationem, a qua damnati non sunt liberati, esse praecipuam poenam peccati (12).

(1) Ibd. I, 28, 2.
(2) Ibd. I, 30n 2 obi. 5.
(3) Ibd. I, 31, 1.
(4) Ibd. I. 31, 4 ad *4.*
(5) Secundum ritum Ordinis Praed catorum. Textus Orationis in Liturgia Romana et monastica aliquantulum differt, lioo modo: « Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant ·.
(6) S. Thomas, S. th. I, 52, 1.
(7) Collecta De peccatoribus: · Deus cui proprium est misereri semper et parcere ».
(8) Collecta Dom. X post Pentec.: «Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas. ».
(9) S. Thomas, S. th. II II, 30, 4.
(10) Ibd. 82, 3 ad 2.
(11) Ibd. 83, 4.
(12) Ibd. III. 49, 3 obect. 1; cfr. III. 22, 5 obi. 1,

Ad probandum iterum Deum peccatum originale permisisse, ut inde aliquid melius eliceret, affert benedictionem cerei paschalis: « Unde et in benedictione Cerei Paschalis dicitur: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Salvatorem* » (1).

«Corpus Christi dicitur animatum, secundum illud quod Ecclesia cantat: *Animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est*» (2) scilicet in Antiphon» I ad Laudes Circumcisionis.

Alia iterum probat ex textibus Divini Officii, etiam ex lectionibus de Sanctis.

Mortem non esse de ratione martyrii probat ex Lectione VI ad Matutinum in festo S. Luciae his verbis: « Martyrium magis debet dici, si aliqua mulier pro fide Christi integritatem carnis perdat quam si etiam vitam perderet corporalem. Unde et Lucia dixit: *Si me invitam jeceris violari, castitas mihi duplicabitur in coronam.* Insuper multae sunt aliae adversitates praeter mortem, quas aliqui possunt sustinere pro fide Christi, sicut carcerem, exilium... Unde et S. Marcelli Papae martyrium celebratur (3), qui tamen fuit in carcere mortuus » (4).

Secundum S. Thomam (5) deinde « etiam inter corporis cruciatus gaudium invenitur, sicut Tiburtine martyr, cum nudatis plantis super ardentes prunos incederet, dixit: *Videtur mihi, quod super roseos flores incedam in nomine Jesu Christi* » (6).

Doctrina quoque sacrameutaria Ecclesiae accipit confirmationem ex Liturgia.

In tractatu de Baptismo et de Confirmatione S. Doctor affirmat Judaeorum filios baptizari non debere invitis parentibus; « est enim contra consuetudinem Ecclesiae. Et *maximam auctoritatem habet Ecclesiae consuetudo, quae semper in omnibus est aemulanda* » (7). Quaê tamen consuetudo, sicut apparet ex contextu, est ritus liturgicus. Ex ipso etiam desumitur argumentum pro eo, quod ex parte baptizandi requiratur intentio suscipiendi Baptismum: nam « secundum ritum Ecclesiae baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum. Per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti » (8).

S. Eucharistia est sacramentum, nam in Collecta (9) dicitur: *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam* (10). Forma consecrationis vini

(1) Ibd. III. 1. 3 ad 3.
(2) Ibd. III. 2, 5.
(3) Breviarium, 16 Januarii.
(4) Ibd. II-II, 124, 4 obi. 2 et 3.
(5) Ibd. I-II, 38, 4; Cfr. II-II, 123, 8.
(6) Breviarium. 1» Aug.
(7) Quodlib. II a. 7.
(8) S. th. III, 58, 7.
(9) Pro vivis et defunctis, Postoommunio.
(10) S. Thomas, S. th. III, 73. 1.

conveniens est, nam Ecclesia ab Apostolis instructa utitur hac forma (1). Effectus S. Eucharistiae est remissio peccati mortalis. Dicitur enim in quadam collecta (2): *Sit hoc sacramentum ablutio scelerum* (3). Hoc sacramentum pro dest sumenti et etiam aliis, « inquantum pro salute eorum offertur. Unde et in canone Missae dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus* » (4). « Per hoc sacramentum participes efficiamur Dominicae passionis. Unde et in quadam Dominicali oratione secreta (5) dicitur: *Quotiens huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur* » (6).

In tractatu de Extrama Unctione porro ostendit Orationem deprecativam esse formam S. Unctionis, ut patet ex usu Romanae Ecclesiae, quae in collatione huius Sacramenti solis verbis deprecationis utitur (7).

In S. Poenitentia minister convenienter dicit: *Ego te absolvo a peccato. « Non est parva auctoritas eius quod in Ecclesia cantatur: Jam bone Pastor clemens accipe Vota precantum et peccati vincula Resolve tibi potestate tradita* (8). Potestas autem tradita Petro est potestas clavium. Potest ergo habens claves ex tradita sibi potestate dicere: *Ego te absolvo* » (9).

Tn tractatu de novissimis S. Thomas similiter demonstrat veritatem doctrinae catholicae ex usu liturgico.

Sinus Abrahae non confundendus est limbo inferni. Nam « Ecclesia non orat pro aliquo, ut ad infernum deducatur. Orat autem ut *Angeli animam* defuncti *in sinu Abrahae ferant*» (10). Ex iam citato Versu Responsorii VII in Officio Defunctorum Doctor Angelicus ita arguit: « *In inferno nulla est redemptio.* Sed a limbo sancti fuerunt redempti. Ergo limbus non est idem quod infernus » (11).

Suffragia vivorum mortuis prosunt, quia, ut dicit Processionarium O. P. in quadam oratione in Officio Sepulturae Fratrum, Deo « *mortuorum spiritus vivunt* »; ideo «quantum ad opera vitae spiritualis», «potest communicatio esse» (12).

Ex verbis Postcommunionis in festo S. Andreae: Sacramenta « *sicut sanctis*

(1) Ibd. III, 78, 3, 1.
(2) Pro vivis et defunctis, Postconununio.
(3) S. Thomas, S. th. III, 79, 3 obi. 1.
(4) Ibd. III, 79, 7.
(5) Dom. X post Pentec., Secreta.
(6) S. Thomas, S. th. III, 83, 1.
(7) Suppl. 29, 8.
(8) In festis S. Petri.
(9) S. Thomas, Opusculum de forma absolutionis c. 1.
(10) In. Suppi. 69, 4 obiect. 3; locum citatum vide in Processionario O. P. Officium Sepulturae Fratrum, Respons. I.
(11) S. Thomas, Suppi. 69, 5.
(12) Suppi. 71, 2a d 4. Cfr. Invitatorium Officii Defunctorum in Liturgia Romana et monastica: ▮ Regem cui omnia vivunt venite adoremus! ».

luis prosunt ad gloriam, ita proficiant nobis ad medelam », iure concludit suffragia prodesse Sanctis in Patria (1).

Sanctos adire debemus, ut orent pro nobis. « Ad hoc est communis consuetudo Ecclesiae, quae in Litaniis Sanctorum orationem petit » (2).

Pro eo quod aliquae poenae temporales et purgatoriae post hanc vitam ante diem iudicii ponendae sint, affert consuetudinem Ecclesiae orandi pro defunctis: « Huic concordat Ecclesiae ritus ab Apostolis introductus: orat enim tota Ecclesia pro fidelibus defunctis » (3).

Etiam devotiones populares ex eo, quod in cultu liturgico memorentur, particularem valorem obtinent. Hinc dicit S. Thomas v. g. (4): « Non damno illos, qui super se gerunt Evangelium ex devotione, quia *beata Caecilia Evangelium, Christi semper ferebat in pectore* » (5).

Tam hac testimoniorum serie constat Angelicum Doctorem de valore argumenti liturgici ad doctrinam catholicam exponendam confirmandamque plene conscium fuisse ipsiusque longe frequentiorem usum fecisse quam plerumque aestimari solet. Et revera magni momenti est modus, quo utitur textibus et ritibus liturgicis, et quo inducit suam argumentationem, quem colligimus ex exemplis, v. g. « Sed contra est, quod in Collecta dicitur: *Quos ieiunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta laetificet* » (6); vel: «et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando...» (7); « contra quod in Praefatione cantatur: *Ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas...* (8); « coipus Christi dicitur animatum, secundum illud quod cantat Ecclesia: *Animatum corpus sumens* » (9); «Sed in cruce Christi ponimus spem salutis; cantat enim Ecclesia: *O crux, ave, spes unica!* » (10); « Sed contra est, quod Ecclesia celebrat Nativitatem B. M. V.; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto; ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta» (11); « dicitur enim in Collecta, quod Deus Verbum suum de Virgine carnem sumere voluit » (12); « Sed contra est, quod secundum ritum Ecclesiae baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia Baptismum » (13); « Sed

(1) Suppi. 71, 8 oblcctio 1.
(2) Suppi. 72, 2.
(3) Opusculum de rationibus fidei c. 9.
(4) Quodlib. XII, qu. 9, a. 2.
(5) Secundum Breviarium est Antiphoua Officii huius Sanctae.
(6) S. th. II-II, 82, 1.
(7) Ibd. II-II, 83, 4.
(8) I, 28, 2.
(9) III, 2, 5.
(10) III, 25, 4.
(11) III, 27, 1.
(12) III, 31, 5.
(13) III, 08, 7.

contra est, quod in Collecta dicitur: *Hoc tuum Sacramentum non sil nobis reatus ad poenam..»* (1); «dicitur enim in Collecta: *Purificent nos, Domine, sacramenta quae sumpsimus* » (2); etc.

Ex quibus omnibus elucet non tantum, quantopere S. Thomae textus et ritus Ecclesiae familiares fuerint, sed etiam quantopere sibi persuasum habuerit Liturgiam esse inter praestantissimos fontes, in quibus fides Ecclesiae invenitur, ac proinde tuto ex ea hauriri posse ac argumenta valida ex ea depromi ad demonstrandam vel defendendam fidem catholicam.

Sicut S. Bernardus et S. Thomas, ita etiam *Duns Scotus* ex facto, quod Ecclesia catholica celebrat festum Nativitatis B. Mariae Virginis, concludit, beatam Virginem ante nativitatem esse sanctificatam. Datis enim et perquisitis primo rationibus, quae contra talem sanctificationem loqui videntur, Doctor subtilis decidit pro opinione contraria, quae tenet antecedentem sanctificationem, et hoc propter auctoritatem Liturgiae Romanae Ecclesiae; ait enim (3): «Ecclesiae auctoritas tanta est, ut dicat Augustinus contra Epistolam fundamenti: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae catholicae non crederem. *Haec autem Ecclesia celebrat nativitatem b. Virginis;* ergo oportuit eam prius quam nasceretur sanctam fuisse». Item (4) Joannes Baptista sanctificatus fuit in utero matris suae, Luc., 1. Ergo magis Mater Dei, et regina omnium Sanctorum » (5).

Item *Suarez Beatam Virginem in corpore assumptam fuisse* tamquam certum concludit ex Liturgia (6), dicens: « Usuardus et Ado in suis Martyrologiis dicunt Ecclesiam celebrare dormitiorem Virginis. Nam ubi eius sanctissimum corpus collocatum sit, plus, inquiunt, elegit sobrietas Ecclesiae cum pietate nescire, quam quid frivolum et apocryphum inde tenendo docere. Sed hoc aperte pugnat cum communi sensu Ecclesiae, ut *constat* ex omnium fidelium, tam simplicium quam sapientium, mente et sermone, et *inscriptione Romani Martyrologii ac missalis, ex officiis illius diei in introitu missae et aliis antiphonis et versiculis, in quibus saepe repetit b. Mariam Virginem assumptam fuisse in coelum.* Neque est verisimile intelligere de assumptione solius animae, tum... Sed quaeres qua certitudine haec veritas te-

(1) III, 73, i.
(2) III, 73, 2.
(3) Oxon. Prol. q. 2 n. 8.
(4) Oxon. 4. d. 4. q. 3 n. 2.
(5) Venerabilis Joannis Duns Scoti Sumina theologica ex universis operibus eius concinnata, iuxta ordinem et dispositionem Summae Angelici Docturis s. Thomae Aquinatis per Fr. Hieronymum de Montefortino: De Verbi Dei Incarnatione p. 25 a. 1. Tom V (Romae 1903) p. 291.
(6) Sttakez, In III partem divi Thomae, tom. II disput. 21 sect. 2.

flenda sit»; ibi Suarez refert opinionem eorum qui volebant rem (scii. B. Mariae V. in coelum assumptionem) esse de fide, quam confutat hoc modo: « Sed revera non est (de fide), quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium Scripturae, aut sufficiens traditio quae infallibilem faciat fidem. *Est igitur iam nunc tam recepta haec sententia, ut a nullo pio et catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari; atque adeo videtur habere ewm gradum certitudinis, quem habet alia veritas* supra tractata *de sanctificatione Virginis in utero Matris* ».

Eadem est Suarezii doctrina circa nativitatem B. Virginis: « Quamvis, ait, non sit aperta haeresis hoc negare (nempe B. Virginem sanetificatam fuisse antequam nasceretur), quia haec veritas non est expresse definita, aut tradita tamquam de fide, esse tamen censeo erroneum vel errori proximum; quia est contra communem sensum sanctorum, et quia Ecclesia celebrat festum Nativitatis Mariae. Non celebrat autem nisi quod sanctum est. Qua ratione utuntur D. Thomas hie, Bernardus, Ildefonsus et alii»(1).

Consonat doctrina S. Roberti *Bellarmini,* Doctoris Ecclesiae, qui in suis controversiis sic animadvertit (2): «Aliquando ex vetustis caeremoniis melius persuadentur aliqua dogmata quam multis testimoniis, i'erte sanctus Augustinus lib. I De peccatorum meritis et remiss, c. 31 (| lib. 6 in Julianum c. 2, apertissime se probare putavit peccatum originale esse in parvulis ante baptismum, quia secundum usum Ec- (lesiae exorcizantur et insufflantur, et iubentur per ora gestantium abrenuntiare Satanae et operibus eius ».

Alio quoque modo S. Doctor auctoritatem S. Liturgiae agnovit: In suo Voto, quod relate ad Immaculatam Conceptionem B. M. V. in praesentia Summi Pontificis legebat S. Congregationi S. Officii, haec adnotabat: «Si non nunc ulla formalis definitio, saltem fieri deberet praeceptum omnibus Ecclesiasticis saecularibus et regularibus, ut recitarent Officium de Conceptione quo modo recitat Ecclesia: sic onim sine definitione haberetur intentum » (3). Secundum sententiam S. Doctoris ergo Ecclesia solo eo, quod omnibus praescriberet recitandum Officium de Immaculata Conceptione, etiam sine definitione formali fidem suam manifestaret.

Hactenus de sanctis Patribus et Doctoribus Ecclesiae. Non aliter res se habet apud plures theologos et liturgistas, quorum praesertim ultimi saepe dogmaticam Liturgiae, quam iure ac merito tamquam

(1) In III partem S. Thomae, disp. 3 sect. 2.
(2) S. Robebtus Bellabminus, De effectu sacramentorum lib. 2. cap. 31.
(3) Vide textum in: Katholik 1857, art. · Doffmatischer Wert der Liturgie· p. 510.

eximium locum theologicum considerant, dignitatem et auctoritatem ostendunt; ex quorum concentu aliquae saltem audiantur voces.

Magis quam Patres et Doctores ex professo de hac re disserui, doctissimus *F. A. Zaccaria* S. J. (1): «Quis nesciat», ait, «nullam esse quaerendae in fidei rebus veritatis aptiorem viam, quam quae ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanae praesertim, de illis sententia fuerit investigare... Falsa enim esse non potest quam Romana, aut universa Ecclesia per orbem diffusa tradit doctrina. Unde porro ecclesiarum mens dignosci tutius possit, quam ex liturgiis, quae singularum, in quibus usurpantur, ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum, presbyterorumque, imo et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt? Hinc efficacitatis maxime visum semper fuit quod e liturgiis petebatur adversus haereticos argumentum».

Alio loco idem auctor dicit: « Consensio liturgiarum omnium cum orientalium, tum occidentalium in aliquo dogmate, firmissimum est illius argumentum. Consensio enim liturgiarum omnium Ecclesiae universae consensus est; quemadmodum ergo falli universam Ecclesiam non posse constat, ita quae a liturgiis omnibus traduntur, erroris insimulare nefas est » (2). Licet ibi Zaccaria tamquam veritatis argumentum memoret Liturgiarum *omnium* consensionem, non tamen excludit ex Liturgia solius Ecclesiae Romanae, vel maioris partis ecclesiarum catholicarum dogmata demonstrari posse. Quod praeclarum effatum frequenter usurpant theologi. « Si quid propterea occurrerit omnium Liturgiarum consensu firmatum », addit P. Perrone (3), « veluti Ecclesiae testimonium spectari debet ».

Eusebius lienaudot (f 1720), Oratorianus maxime eruditus, in praefatione ad suum de Liturgiis Orientalium opus (4) de Liturgiarum auctoritate vera haec et profunda verba deposuit: «Si quidquam in iis quaestionibus quae fidem et disciplinam spectant elucidandis gravissimam auctoritatem habet, testimonium ecclesiarum est, praescriptum antiquitus, et temporum successione continuatum et renovatum. Magnum in hoc genere pondus habent vetusta traditio, et consentientium de praecipuis fidei disciplinaeque capitibus sanctorum Patrum scripta, decreta conciliorum et reliqua Ecclesiae monumenta. Sed inter illa maximam dignitatem obtinent ea, quae totius quodammodo Ecclesiae

(1) F. A. Zaccaria, Biblioth. ritualis, tom. I diss. 2 cap. 2 p. VIII cd. Romae 1770 De usu librorum liturgicorum in rebus dogmaticis cap. IV, 2.

(2) 1. o. cap. 3. can. 1 = De usu librorum... cap. V, 2.

(3) P. Perrone, Tractatus de locis theologicis, P. II Sect. II c. 2, 4 n. 143.

(4) E. Renaudot, Liturgiarum orientalium Collectio, Praefatio: De Liturgiarum auctoritate, cap. 7.

vocem et testimonium exhibent, quia ubique cognita et probata sunt, et in illis non Episcoporum modo, sed plebis etiam suffragia continentur. Tales porro sunt liturgiae, de quibus hucusque diximus... Sunt enim non unius quantumvis magni doctoris voces et verba, sed ecclesiarum, quae cum unanimi consensu eam sacrorum formam precesque probaverunt: legis illa vim obtinent qua (si sacras Litteras excipimus) maior esse nulla potest. Nec id noviter excogitatum est, cum precum Ecclesiae testimoniis Augustinus Pelagianos confutaverit; ut a Coelestino et aliis factum est. Ita quidquid in lacobi graeca liturgia legimus testimonium totius Ecclesiae Hierosolymitanae et aliarum quae eadem utebantur, fuit; quod maius est quam si apostoli ipsius opus fuisset, cum in canone Scripturarum, quamvis eum auctorem haberet, recepta non sit. Similiter in Marci graeca aut aegyptiaca, totius ecclesiae Alexandrinae fidem agnoscimus: ut in Syriacis syrarum, in Graecis graecarum ecclesiarum ». Et statim affert *exemplum huiusmodi argumentationis,* haec addens: « Velim scire num ecclesiae orientales omnes recte de Trinitate sentiant: cum ubique Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, tamquam unius substantiae, invocari video, quin fidem in concilio Nicaeno stabilitam profiteantur, dubitare non possum. Ita cum Mariam *Θεοτόκον* videmus in precibus liturgicis aut aliis appellari, scimus illos qui ita loquuntur a Nestoriana haeresi abhorrere... In illis igitur, non doctoris alicuius eximii, non concilii, sed totius Ecclesiae vox auditur, cum inter se consentiunt; ut sane mirus illarum in istis omnibus consensus est », nempe fidei capitibus, quorum enumerationem auctor paulo ante absolverat his verbis: «Et omnia tandem fidei capita sacris illis precibus breviter sed perspicue continentur ».

Verba « Sunt enim... » redeunt apud *Josephum Aloysium Assemani* maronitam hoc contextu (1): «Verum, ut mox dicebam, auctoritas Liturgiarum non ex titulis, sed ex usu Ecclesiae repetenda est; sunt enim non unius quantumvis magni Doctoris voces et verba, sed Ecclesiarum, quae unanimi consensu eam sacrorum formam precesque probaverunt ».

Non alia est doctrina *Guglielmi Bossuet* (f 1704), maximi inter theologos Galliae tempore Ludovici XIV, qui in refutandis falsis sui aevi mysticis traditionem Ecclesiae appellat, quam praecipue videt expressam in precibus liturgicis, ut satis testantur haec eius verba (2): « Le principal instrument de la tradition de l'Eglise est renfermé dans ses

(1) J. A. Assemani, Codex liturgicus ecclesiae uuiversae III p. XXVIII.

(2) G. Bossuet, Sur les états d'oraison, livre VI, in: Oeuvres complètes de Bossuet, évêque de Meaux, tom. VIII, (Paris 1556) p. 59.

prières, et soit, qu'on regarde Faction de la liturgie et le sacrifice, ou qu'on repasse sur les hymnes, sur les collectes, sur les secrètes, sur les post-communions, il est remarquable qu'il ne s'en trouvera pas une seule qui ne soit accompagnée de demandes expresses; en quoi l'Eglis a obéi au commandement de Saint Paul (1). ... La conclusion solennelle de toutes les oraisons de l'Eglise " par Jésus-Christ „ et " en l'imité du Saint Esprit„ fait voir la nécessité de la foi expresse en la trinité, en l'incarnation et en la médiation du Fils de Dieu ».

« J'ai fondé l'adoration de Jésus-Christ comme Dieu sur une tradition incontestable: elle est claire dans la collecte du jour de l'Epiphanie, puisqu'on y lit ces paroles: O Dieu qui avot révélé aujourd'hui votre Fils unique aux gentils, sous la conduite d'une étoile! Qui dit fils unique, dit un Dieu de même nature que son père; et si M. Simon ne le veut pas croire, l'Eglise le confondra par la conclusion ordinaire de la collecte ou il est porté que ce même Fils unique Jésus-Christ est un Dieu qui vit et règne avec son Père dans l'imité du Saint-Esprit. Cette collecte est de la première antiquité, et se trouve dans les plus anciens sacramentaires... l'Eglise ne change pas pour l'amour de M. Simon la maxime de saint *Augustin* qui assure *que* la foi de l'Eglise se trouve dans ses prières; ni la règle inviolable du pape saint Célestin que la loi de prier établit celle de la foi » (2).

Praeclara sunt et maxime attendenda verba doctissimi aeque ac pietate conspicui Domini *Languet,* Senonensis Archiepiscopi (3) : « Le dernier laïque, prêtant l'oreille aux chants qui se font entendre dans l'Eglise qu'il fréquente, connaît... que le monde entier professe unanimément et a constamment professé par la tradition la plus ancienne ces vérités capitales qui sont exprimés dans les liturgies... Or, une chose consacrée par l'usage antique et universel est gardée d'erreur par les promesses mêmes de Jésus-Christ, qui assiste toujours son épouse et lui garantit la foi par sa propre vérité, et la sagesse du gouvernement par sa propre prudence ».

« La tradition n'est-elle pas donc aussi une parole de Dieu, une. règle de foi? Mais en quel monument nous apparaît plus sûrement et plus efficacement cette sainte tradition, que dans ces prières composées dans l'antiquité la plus reculée, employées par la coutume la plus universelle, conservées dans la plus constante uniformité?... Il y est plusieurs dogmes de notre foi dont nous ne pouvons prendre la

(1) Phil 4, C.

(2) Lettre sur la version du Nouveau Testament de Richard Simon, ed. Lebel, tom. IV p. 413.

(3) Oeuvres de Languet, tom. II p. 1231.

connaissance distincte que dans la tradition, et il n'y a pas de menumentes a la fois plus précis et plus sûrs pour défendre ces dogmes, que les prières mêmes de la messe » (1).

In sua Instructione pastorali diei 20 augusti 1696, idem asserebat *Cardinalis De NoaiUes,* Parisiensis Arcliiepiscopus: « Ç'a été en cette matière, dès les premiers temps, ime règle invariable des saints Pères, que la loit de la prière établit celle de la foi, et que pour bien entendre ce que l'on croit, il n'y a qu'a remarquer ce que l'on demande, ut legem credendi statuat lex supplicandi ».

Concordat J. *MabiUon* (in opere suo de liturgia gallicana lib. 1, p. 1) dicendo: «Cum varia sint argumenta quae *veram in Eucharistia Christi corporis sanguinisque praesentiam probant,* non inferiorem in liis locum tenent augustissimi ritus ac solemnes illae preces, quibus christianae ubivis gentium legitimae societates ab initio in re sacra usae sunt. Id enim modis omnibus agit Spiritu Sancto animata Ecclesia, ut magnum aliquid ac plane divinum hoc sacrificio contineri palam protestetur ».

« Le degré d'autorité des liturgies », inquit *Bergier* (in Dictionnaire de théologie catholique ad vocem *Liturgie)* « est très différent de celle de tout autre écrit: quel que soit le nom quelles portent, c'est moins l'ouvrage de tel auteur, que le monument de la croyance et de la pratique d'une église entière... Le pape saint Célestin proposait cette règle aux évêques des Gaules lorsqu'il leur écrivait: ... par la manière dont nous devons prier, apprenons ce que nous devons croire. Ainsi ce pontife attestait l'authenticité et l'autorité des liturgies: elle n'est pas diminuée depuis douze cents ans; jusqu'à la fin des siècles elle sera la même. C'est donc aujourd'hui un très-grand avantage pour les théologiens de pouvoir consulter et comparer les liturgies de toutes les communions chrétiennes; il n'est aucune preuve plus convaincante de l'antiquité, de la perpétuité, de l'immutabilité de la foi catholique, non-seulement touchant les dogmes contestés par les protestants, mais à l'égard de tout autre point de croyance».

Auctoritas ergo Liturgiae multum differt ab auctoritate alicuius auctoris: nam non unius opus est, sed est monumentum et fidei, et doctrinae et consuetudinis et traditionis totius Ecclesiae.

Hinc P. *Perrone* (2) iure iudicat: « Maximi faciendam esse auctoritatem sacrae liturgiae, eamque habendam uti testem omni exceptioni maiorem traditionis et Ecclesiae fidei, is solus inficias iverit, qui non adverterit in illa ecclesiarum omnium exhiberi vocem ac te-

(1) Ibd. p. 1332.
(2) P. Pebrone, Tractatus de locis theologicis, Pars II scot. II, c. II, 1 4 n. 412.

stimordum episcoporum, presbyterorumque et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata ».

Secundum L. Beauduin (1) « libri liturgici constituunt locum theologicum primi valoris».

A. Coelho (2) ita iudicat: « Essendo l'espressione e la spiegazione della fede, la Liturgia è naturalmente uno dei documenti piu autentici e piu validi della credenza di un popolo, e per conseguenza, un luogo teologico di prima importanza ».

Similiter multi alii, praesertim ex auctoribus recentissimis (3), suam de valore Liturgiae dogmatico persuasionem enuntiant, et vix nunc invenitur aliquis auctor liturgicus celebrior, qui huic rei non consentiret, nec vix unum aliquod periodicum theologicum, quod se occupat de doctrina et vita Ecclesiae, quod non semel et iterum huic doctrinae paginas suas praestitisset.

« C'est done l'Eglise qui parle et agit par ses ministres, lorsqu'ils les (les liturgies) emploient dans l'action la plus sacrée de la religion; ce qui donne a ces prières une autorité fort supérieure a celle que leur pourraient donner les noms des plus grands saints de l'antiquité. Car il n'y en a aucun, si on en excepte les écrits des apôtres et des disciples qui sont reçus dans le canon des Ecritures, auquel on puisse attribuer le privilège que Jésus-Christ a donné a son Eglise de ne tomber dans aucun erreur. Ainsi on peut être assuré que des prières et des formules qu'elle a approuvées par un usage immémorial, et par un consentement général de tous les pays et de tous les siècles, ne peuvent être que conformes à la tradition des Apôtres et de leur successeurs, auxquels a été faite la promesse de Jésus-Christ d'être avec eux jusqu'à la consommation du siècle. C'est sur ce principe que saint Augustin s'est servi des prières de l'Eglise, comme on fait aussi d'autres Pères, pour combattre les hérétiques » (4).

Ex adductis citationibus patet communem et constantem doctrinam Patrum et doctorum circa valorem liturgiae dogmaticum, posse resumi sub hac formula: *quando Liturgiae catholicarum ecclesiarum aliquod dogma universaliter et concorditer exprimunt, dogma illud falsum esse nequit.* Quomodo autem intelligant liturgicam dogmatis manifestationem *universalem* esse debere, ut ex illa rigorose deduci possit ipsius dogmatis sic expressi veritas, utrum nempe necesse sit, ut omnes

(1) L. Beauduin, La piété de l'Eglise, Principes et faits (Louvain 1914) p. 94: « Les livres liturgiques constituent un lieu théologique de première valeure *i.*

(2) A. Coelho, Corso di Liturgia Romana I (Torino 1935) p. 210.

(3) Vide litteraturam generalem supra indicatam in Introductione.

(4) La perpétuité de la foi III. p. 238 ed. Migne.

omnino omnium locorum et temporum Liturgiae dogma illud uniformiter proferant, non expresse dicunt. At ex ipsorum modo ratiocinandi facile concludi potest, quid senserint: scilicet, ita intelligenda est communis Patrum et doctorum sententia de valore dogmatico Liturgiae, ut dogmatum veritas deduci possit, tum ex universalitate Liturgiarum moraliter sumpta, tum etiam ex sola Liturgia Ecclesiae Romanae.

Caput III.

Conditiones pro argumentatione dogmatica ex Liturgia.

Argumentum ex Liturgia desumptum plena certitudine probat veritatem alicuius doctrinae fidei, si ex eo — sicut requiritur in omni argumento traditionis dogmaticae — constat Ecclesiam moraliter universam aliquo tempore admisisse aut professam esse hanc doctrinam tamquam certo pertinentem ad depositum fidei, impossibile enim est Ecclesiam universam hac in re errare.

De huiusmodi autem conditione constare potest, et quidem non raro facilius ex documentis liturgicis quam ex scriptis S. Patrum. Testimonia enim liturgica *non sunt prolata semel ab uno,* sed a multis per generationes et generationes, repetita; *exprimunt* non solum *sensum Ecclesiae* discentis sed et *docentis* quae composuit vel saltem approbavit documenta; tandem *ex modo et frequentia attestationis, ex indole ritus* in quo exprimitur, et *ex momento ipsius doctrinae,* indubie apparere potest Ecclesiam hanc doctrinam profiteri tamquam ad depositum fidei pertinentem. Et ita ex modo quo Ecclesia iubet orare, interdum deduci potest, cum plena certitudine, quid sit credendum.

Argumentatio fieri potest ex aliquo textu liturgico, ex symbolo, ex aliqua lege seu praecepto. Quaenam sunt conditiones ut ex eis certum argumentum dogmaticum desumatur?

§ 1. - *Demonstratio theologica ex textibus.*

1. Textus iste debet habere *internam et necessariam relationem ad fidem,* non externam tantum; aliis verbis: casus debet esse ita: si quis negaret doctrinam vel factum, in ipso textu liturgico expressa, ipsa fides periclitaretur. Quodsi haec conditio verificatur, ille textus dogmaticae argumentationi inservire potest. Ratio est, quia Ecclesia in rebus fidei et morum, vel in rebus *interne* cum eis coniunctis, errare nequit. Ubi nulla est relatio ad fidem, ille textus tamquam locus theologicus adhiberi nequit.

Tamquam critérium decernendi, utrum in aliquo textu adsit interna relatio ad fidem necne, secundum J. Brinktrine (1) hoc institui potest argumentum: per hypothesim aliquis assumeret tamquam falsum, quod in textu dicitur, et interrogaret, utrum ille qui textus auctoritate motus doctrinam vel factum in eo prolatum verum esse diceret, erraret in fide. Si affirmativa, interna relatio ad veritatem fidei adest; alias, non.

Tali modo procedendi statim plures textus et facta tamquam locus theologicus excluduntur: v. g. omnes illi textus, qui ex vita Sanctorum miraculosa tradunt (sicut fieri solet in lectionibus II Nocturni, et etiam aliquando in Orationibus, v. g. diei 10 Februarii vel 25 Novembris), vel illa facta miraculosa, quae causabaut aliquod festum quaeque nondum aliis factis dogmaticis comprobata sunt (sicut Translatio Domus Lauretanae, d. 10 Decembris).

Quodsi adest sola *externa* relatio inter fidem et textum liturgicum, certum argumentum ex Liturgia desumi nequit.

Ita v. g. dogma Immaculatae Conceptionis non eo credere possumus, quod Beatissima Virgo apparuit S. Bernadette eique dixit: « Ego sum Immaculata Conceptio », sed solum eo, quod hoc dogma implicite continetur in revelatione divina, quae cum Apostolis terminatur. Ait enim divus Thomas (2): « Fides divina innititur *revelationi Apostolis* et prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta ». Solum si dogma Immaculatae Conceptionis accipimus, debemus accipere etiam illud dictum ad S. Bernadette, non vero sequitur ex eo, quod accipimus dictum ad Sanctam, quod accipere debemus etiam dogma. Illud factum apparitionis ergo creat certam qnandam certitudinem *naturalem* de eo, quod dogma et revelatio divina, quae subiacet, rectum sit; est potius forma argumenti apologetici; verumtamen inter naturalem certitudinem et supernaturale certitudinem fidei est magna, immo maxima differentia.

2. Textus liturgicils, ex quo demonstratio dogmatica procedit, debet esse *receptus in universa Ecclesia.* Ex particulari Liturgia numquam demonstratio dogmatica stringens fieri potest; potest quidem habere etiam summum gradum *probabilitatis,* numquam vero absolutam certitudinem. Ratio in eo invenitur, quod certitudo alicuius doctrinae necessariam relationem habet ad eius *oecumenicitatem.* Analogiam praebet infallibilitas Papae, quae habet relationem ad eius magisterium oecumenicum; similiter infallibilitas Concilii oecumenici.

Liturgia Romanae Ecclesiae vero tamquam universalis consideranda est. Posset quidem aliquis obiicere Ecclesiae Romanae Liturgiam non esse universalem; in multis enim ecclesiis Orientis de

(1) J. Brinktrine, Der dogmatische Beweis aus der Liturgie = Scientia Sacra (Düsseldorf 1935) p. 244 ss.

(2) S. Thomas, Summa theologica I, 1, 8 ad 3.

facto alia Liturgia in usu est. Unde et ipsam Liturgiam Ecclesiae Romanae esse tantum particularem.

Vermntamen Liturgiae non - Romanae, quoad diffusionem, solam partem Ecclesiae universalis constituunt (in omnibus ecclesiis ritus orientalium sunt circa 12,5 milliones uniti) hinc *de jacto* Liturgia Romana est quasi universalis.

Haec vero non est ultima ratio pro universalitate Liturgiae Romanae. *Per se* fieri posset, ut Liturgiae non-Roinanae maiorem diffusionem obtinerent quam Romana. Verumtamen etiam tunc universalis maneret, quia est Liturgia matris omnium ecclesiarum, eodem modo, sicut doctrina Romanae Ecclesiae semper manet et est universalis. Illud factum, quod Liturgia Romana immediate a Romano Pontifice custoditur et promulgatur, et in Ecclesia Catholica Romana adhibetur, fidem praestat de hoc quod in ea errores in rebus fidei et morum non sunt et quod depositum fidei in ea integre et illaese conservatur (1).

Quis enim negaret promissionem a Domino Petro factam (Lc. 22, 32), eius scilicet fidem non deficere, non etiam referendam esse ad declarationem et probationem fidei in Liturgia Apostolicae Sedis factam, quamvis haec depositio fidei non omnino eadem linea cum formali definitione ex cathedra dici potest.

Quodsi praedictae duae conditiones, interna scilicet relatio ad fidem, et textus in Ecclesia universali, vel Romana acceptus, adsunt, *negative* iam constat in illo textu liturgico errorem in rebus fidei et moram non esse. Ut autem *positive* aliqua determinata cognitio dogmatica ex eo habeatur, tertia conditio accedere debet:

3. Textus *univoce* debet enuntiare aliquam determinatam veritatem. Quodsi admittit etiam aliam explicationem, de certitudine non amplius loqui possumus. Quae « univocitas » potest esse data sive per declarationem Ecclesiae, quae dicit hunc vel illum textum explicandum esse hoc determinato modo, sive per concordem expositionem Theologorum.

Quodsi hae tres praedictae conditiones omnes adsunt, in textu liturgico exprimitur aut directe aliqua doctrina fidei, aut aliqua doctrina, quae fidem tangit, quaeque *certa* est, ac proinde sine temeritate negari non potest.

(1) Cfr. V. Thalbofer, Handbuch der Kathoitschen Lltmgik I (cd. 2 a L. Eisbnuofek, Freiburg i. B. 1912) p. 10 s: <Beztiglich derjenigen Liturgie, deren sich die rOmische Kirclie bedlont, uud die unmittelbar vom l'apsto überwacht uud unter seiner Respizienz entspreohend welter entwickelt wird, ist voile Siclierheit gegeben, dass sie von Irrtilmern in rebus fidei et morum frei uud das in Ihr enthaltene, durch Jahr hunderte herab fortüberlieferte Glaubensdepositum unverfaischt erhalten bleibo; demi wer mOelite leugnen, dass die Verheissmig des Hcrrn (Luc. 22, 32) auch auf die in der Liturgie des Apostolischen Stuhles gelegene Bern·· kundung mit einer fûrmliohen Definition ex cathedra auf völlig gleicher Linie stehe! ›

Ratio est quia, si umquam, tunc in casu nostro est manifestatio magisterii ordinarii Ecclesiae. Secundum Concilium Vaticanum (1) non tantum tenemur credere, quod Ecclesia « solemni iudicio », sed etiam quod « ordinario et universali magisterio » ad credendum proponit.

Etsi in casu nostro semper agitur de certis doctrinis, tamen sunt *diversi gradus certitudinis* propter rationes externas vel internas.

Ratio *externa* deduci potest v. g. ex modo, quo Ecclesia de ea re locuta est: in addita Rubrica determinatam aliquam declarationem dare potest. Summus gradus certitudinis est *declaratio solemnis magisterii,* sicut data est pro canone Missae in Concilio Tridentino: Si quis dixerit canonem Missae continere errorem, anathema sit (2). Illae ergo res in canone, quae ad fidem reteruntur, permagnum gradum certitudinis habent.

Alia ratio externa est in *frequente usu.* Si inter conditiones citatas ille textus iam est certus locus theologicus, qui raro adhibetur, eo magis ille, qui quotidie in usu est, sicut orationes Offertorii.

Ratio *interna* pro diverso gradu certitudinis ex ea consideratione derivatur, utrum textus habeat relationem proximiorem vel remotiorem ad fident. Praesertim consideranda est quoad textus liturgico» relatio ad validitatem Sacrificii eucharistici vel Sacramentorum.

Quamvis, sicut patet ex dictis, datis praedictis conditionibus, errores in rebus fidei in textibus liturgicis inveniri nequeant, tamen *non excluduntur formulationes dogmatice minus perfectae,* sicut, v. g. in offertorio Missae pro defunctis, vel in Oratione in die obitus (Deus cui proprium est), quae quoad eschatologiam antiquiorem statum evolutionis retinuerunt; porro, *Credo,* in ecclesia Orientalium apud Unitos quoque oratur sine voce « Filioque » (3), et etiam Liturgia Romana feria IV Quatuor Temporum Pentecostes habet orationem, quae non continet «filioque» (1). Quae locutiones facile ex eo explicari possunt, quod Liturgia, propter characterem suum conservativum, veterem termmologiam conservavit, dum theologia generatim ulterius processit et terminologiam acutiorem et acriorem formulavit.

Per se etiam fieri posset, ut aliqua Oratio primitus quidem opi-

(1) Denzinger, n. 1792; cfr. etiam CIC can. 1323 § 1.

(2) Concilium Tridentinum, Sees. XXII can. 6; Dbnzisger, n. 953.

(3) Deest in libris officialibus ex mandato S. Congregationis de Propaganda fido typis excussis; Benedictus XIV, Const. L'lsi *pastoralis* § 1 De fide catholica, ad 1 illud praescripsit pro istis regionibus, in quibus iam in usu erat et ubi sine scandalo et sine periculo pro tide omitti nequiret. Cfr. PL. De Mbestek, La divina liturgia dl S. Giovanni Crisostomo (Roma 1920) ed. Î, p. 232 s.

(4) › Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem ›.

nionem erroneam contineat; quae vero doctrina erronea eo quod ipsa oratio definitive in Liturgiam universalem assumitur, rectificaretur et illi loci sensum orthodoxum acciperent. Cum plura verba et formulae linguae humanae admittant varios sensus, id fieri possit, verumtamen in accidentalibus et rebus minoris momenti tantum.

§ 2. - *Demonstratio theologica ex symbolis.*

Verbum et symbolum in eo conveniunt, quod utrumque aliquas ideas exprimunt. Non ergo solus textus liturgicus loquitur ad nos, sed etiam symbolum liturgicum. Ex qua congruentia eruitur conditiones supra pro textibus liturgicis statutas etiam pro symbolis valere, ut certae cognitiones dogmaticae ex eis hauriantur.

Quoad primam conditionem praesertim notari debet symbola quoad maiorem partem esse signa exteriora cultus, ac proinde saltem *indirecte* cum fide cohaerere. Huc pertinent v. g. inclinationes ad quaedam verba, sicut ad vocem « Jesus », « Gloria Patri » etc., vel inclinationes Cruci faciendae, genuflexiones ad verba « Et incarnatus est », «Et Verbum caro factum est», coram Sanctissimo Sacramento, etc.

Interdum symbolum etiam *directe* exprimit fidei veritatem. Ita genuflexio post verba conseeratoria in Missa: « Hoc est corpus meum », «Hic est calix sanguinis mei » exprimit fidem, Christum in sacris speciebus revera esse praesentem.

Praecipue tertia conditio pro argumentatione ex symbolis gravioris momenti est: imago et symbolum ex natura sua magis indeterminata sunt ac proinde plures sensus admittunt, quam verbum. Ut certa conclusio ex eis fieri possit, symbolum univocum sit oportet. Si symbolum plures sensus habet, certa conclusio fieri nequit.

Hinc falsum esset, si quis ex signis crucis, post verba Christi super oblata faciendis, concluderet, ipsa oblata transsubstantiata nondum esse, quia adhuc benedicuntur. Signa Crucis enim plura significare possunt nec necessario tamquam ritus benedictionis interpretari debent.

Si una sola significatio intenditur, etiam hic communis Theologorum consensus, vel declaratio Ecclesiae, v. g. textus Rubricae, quae praescribit talem ritum vel tale symbolum, rem decidere potest.

§ 3. - *Demonstratio theologica ex Rubricis et Decretis seu ex legibus cultus celebrationem ordinantibus.*

Ex natura sua Rubricae non sunt, ut enuntient fidei dogmata, sed sunt, ut tutam reddant validam dignamque celebrationem Sacrificii eucharistici, Sacramentorum, aliarumque sacrarum actionum.

Certe valet axioma, *eum* absque ullo dubio *valide celebrare valideque conficere et ministrare Sacramenta, qui secundum normas Rubricarum celebrat Missam vel administrat Sacramenta.* Quodsi non esset ita, Ecclesia in aliqua re, quae fidem tangit,, — agitur de validitate Missae et Sacramentorum — erraret et in errorem duceret, id quod non congruit cum infallibilitate Ecclesiae.

Ex supra citato axiomate hauriri possunt cognitiones dogmaticae maioris momenti, ut statim demonstrabitur, ac proinde iure dici potest etiam Rubricas, quamvis *indirecte,* posse constituere fontem dogmaticae intellectionis.

Ita v. g. Sacerdos, qui secundum Rubricas *De dejectibus circam Missam occurrentibus IV,* 5 agit, certo valide celebrat Sacrificium eucharisticum; scilicet: « Si hoc (i. e. vinum non fuisse positum, sed aquam) advertat post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aquae, apponat aliam Hostiam, iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat... Vel, *si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et jacta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere,* et prosequi cetera ». Ex eo, quod Ecclesia admittit etiam alteram possibilitatem, certe concludi potest ad validitatem Sacrificii necessarium non esse, ut utraque Species simul, eodem tempore, et physice in altari adesse, ut plures Theologi putant (1), sed sufficere moralem praesentiam in casu.

Ita Sacerdos porro, ut etiam *Sacramentum* nominem, certo Baptismum valide ministrat, si secundum Rituale Romanum baptizat cum infusione. Ex quo contra plures theologos orientales, qui solum Baptismum per immersionem validum esse putant, concludi potest etiam Baptismum per infusionem validum esse.

Tandem dubitari nequit, quin etiam Extrema Unctio ministrata cum formula breviore, prout a Rituali Romano pro caso necessitatis praescribitur, certe valida sit. Ex quo contra plures Theologos vetustiores, qui putant « expressionem sensus eamque probabiliter singulatim factam » (2) esse essentialem, concludi potest, nominationem sensuum

(1) Cfr. v. g. Pe11, Jesu Opferhandlung in der Eucharistie (Regensburg 1912) p. 42 ed. 3.
(2) Cfr. v. g. A. Lehmkuhl, Theologia moralis II (ed. 2 Friburgi Br. 1898) p. 404.

in formula Extremae Unctionis non esse essentialem. Contra quam opinionem haec oritur difficultas: Nonne ex eo, quod Ecclesia, si adhibita est formula brevis et aegrotans supervixit, praescribit unctionem singulorum sensuum (1), concludi potest, unicam unctionem frontis forsitan non sufficere ac proinde unctionem sensuum nihilominus essentialem esse? Unctio in fronte ab Ecclesia quasi sola ea ratione concederetur, quia agitur de casu extremae necessitatis, et quia secundum probabilem opinionem una sufficit et unica unctio: secundum principium illud: in extremis extrema tentanda sunt. Verumtamen contra talem interpretationem Codex luris Canonici can. 917,1 expressis verbis dicit: « In casu autem necessitatis *sufficit* unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore, salva obbligatione singulas unctiones supplendi cessante periculo » (2), ea scilicet ratione, ut supra omne dubium S. Unctionem certam reddat.

Aliis Rubricis Ecclesia similiter *intendit, ut absolute certam reddat confectionem Sacrifici vel Sacramentorum.* Unde interdum se adaptat opinioni probabiliori Theologorum eamque suo praecepto confirmat, de opinione opposita nihil curans vel etiam tacite eam confundens.

Ita praescribit v. g. De defectibus circa Missam occurrentibus tit. IV n. 4 historicam narrationem institutionis Sacrificii, ut ita melius appareat Sacerdotes peragere mandatum Christi et verbo *et* actione illud exsequi. Sunt enim plures Theologi qui dicunt historicam illam narrationem non essa essentialem, sed essentialia esse tantum verba: « Hoc est corpus meum », « Ilie est calix Sanguinis mei», quasi ageret de sola praesentia Domini,'vel de sola repraesentatione mortis in Cruce. Ecclesia vero tenet parsnasionem Sacerdotem hic repraesentare actionem Domini in Coena. novissima ac proinde ipsum repraesentare debere verbo et opere actionem Christi, secundum illud Domini: « Haec quotiescumque *feceritis,* in mei memoriam *jacietis* ». Hinc Rubrica ait: « Si (Celebrans) post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis (scii. n. 3 citatis): « Simili modo etc.». Eadem consequentia Ecclesia in praecedenti titulo 111 n. 5-7 praescribit, ut in defectu panis Sacerdos consecrationem incipiat a verbis: « Qui pridie quam pateretur » (3).

Eadem ratione Ecclesia ducta esse videtur, si in Rubrica tituli V n. 1 *De defectibus Formae* hanc suam sententiam clare edicit: « Defectus ex parte

(1) Cfr. CIC can. 947.

(2) luro dicit E. Hugon, Tractatus dogmatici III (Parisiis 1927 ed. 5) p. 689: · Remonet quidem obligatio repetendi, cum pertineant ad *integritatem,* at si unica *sufficit,* constat essentiam in unica mictione salvari ».

(3) Hinc J. Brinktbine, in articulo citato: « Der dogmatischc Beweis... » p. 219 s aperte erravit, oppositam defendendo sententiam; non enim sibi rationem reddidit de intentione Ecclesiae, em· tam graviter praescribat narrationem historicae institutionis.

formae possunt contingere, si aliquid desit ex eis quae ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. *Verba autem consecrationis,* quae sunt forma huius Sacramenti, *sunt haec*·. « Hoc est enim Corpus meum ». Et: « Hic. est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret ».

Ex quibus saltem illud concludi debet omnia illa verba *ad integritatem* consecrationis pertinere, et opinionem sola verba: « Hoc est Corpus meum » et: « Hic est Calix Sanguinis mei» esse essentialia, ex clara decisione Ecclesiae, etiam in novissima Missalis editione typica repetita, refutari (1).

Pontificale Romanum, in titulo «De Ordinibus conferendis» praescribit: « Moneat (Pontifex) ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimitur, tangant ». Potestne et quousque ex hoc praecepto dogmatice *cum certitudine* concludi in ordinatione v. g. Sacerdotum traditionem instrumentorum esse materiam essentia leni' Secundum nostram opinionem ex eo *certa* ratio pro tali iudicio desumi nequit, immo nunc non amplius ne probabilis quidem, quia, ut patet ex alia recentiore decisione S. Congregationis, traditio instrumentorum fit propter *integritatem* materiae, non propter essentiam. Ecclesia in hoc casu omni modo intendit certum et indubitatum reddere Sacramentum, ideo ex vetere theologorum doctrina mansit in Pontificali Romano, nondum ad novissimas normas emendato, hoc praeceptum.

Tamquam ratio huius praecepti adducitur in traditione instrumentorum imprimi characterem. Quodsi supponimus hanc rationem falsam esse, tunc traditio instrumentorum non esset essentialis. Eo quod huic praecepto satisfit, validitas vero Sacramenti non tangitur; ergo Ecclesia in casu non in errorem ducit quoad rem quae interne tangit fidem: Quapropter ex citata Rubrica *certa* conclusio fieri nequit: potest esse, ut agatur de probabilitate.

Secundum Rubricam, quam continent Pontificalia Romana saeculi XIII, vinum non consecratum transsubstantiatur in Sanguinem Christi ex contactu cum Hostia consecrata; ex qua Rubrica eadem ratione qua supra, conclusio dogmatice *certa* fieri nequit. Ille qui secundum hunc ritum - est ordo ad communicandum infirmum, secundum quem Hostia consecrata in vinum intingitur et ita infirmo datur - accipit S. Communionem, sub una specie Panis

(1) Putat J. Br in k t r in e, l. c. p. 250 etiam hic omnino erronee, quia aperto contra clarum textum Rubricae: · Man kann also Mchstcns den Schluss ziehen, dass es sehr konvenient 1st, dass der Priester in unserem Falle nicht unmitteibar mit den Worton Christi beginnt, eondorn eino Kinleitung: ▮ Qui pridie » odor · Simili modo ▮ voraufschickt (I). Ans der obigen Rubrik l5est sicli also nicht elnmal ein probabler Beweisgrund filr die Meinung beibringen, dass dio Worte › Qui pridie * usw. und « Simili modo » usw. zur Gültigkeit der Konsekration notwendig sind (1) Ganz Ahnliches gilt vou tit. V n. 1, wo gesagt wird, die sakramentale Form der Konsekration des Kclches sel: « Hio est Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ·. Daraus kann man nicht den Sclduss ziehen, dass alie Worte wesentlich sind.

vere et realiter accipit Christum neque ullam perdit gratiam ad salutem necessariam (1). Alius esset casus, si vera receptio Sacramenti tangeretur.

Magnam affinitatem cum Rubricis, seu cum praeceptis in libros liturgicos assumptis, habent Decreta S. Congregationum Romanarum, inquantum referuntur ad ordinationem divini cultus. Saepe sunt praeambula Rubricarum, quatenus labente tempore fiunt elementum ipsorum librorum liturgicorum.

Ita v. g. Decretum S. Congregationis S. Officii d. 25 Apr. 1906 de Extrema Unctione in novissimam editionem Ritualis Romani assumptum est.

Quodsi tale Decretum obligat universalem Ecclesiam, non aliquam dioecesim vel aliquam personam moralem vel physicam tantum, et si agitur in eo de aliqua praxi continuo in Ecclesia exercitata, Rubricis aequiparandum est. Quapropter principia pro Rubricis statuta per analogiam ad haec Decreta extendenda sunt.

Reassumendo dicere possumus: supremum critérium in quaestione, utrum ex determinatis praeceptis liturgicis Ecclesiae cum certitudine concludi possit ad doctrinam lidei, est hoc·: *Ecclesia in rebus fidei et morum,* et de hoc agitur, si quaeritur de validitate Sacrificii et Sacramentorum, *errare non potest, neque in errorem ducere.*

(1) Concilium Tridentinum, Sessio 21 cap. 3.

Caput IV.

Satisfît aliquibus obiectionibus contra valorem dogmaticum Liturgiae (1).

Contra valorem dogmaticum Liturgiae ab aliquibus auctoribus variae ponuntur difficultates.

«) Obiicitur primo veterum Liturgiarum auctoritatem non posse invocari in quaestionibus de fide, eo quod *veteres* earum *libri essent apocryphi,* iis nempe viris attributi, qui eorum auctores minimo fuerunt.

Liturgiae enim, quae S. Petri, S. Marci aliorumque Apostolorum nomen prae se ferunt, constat ab impostoribus fuisse confictas; ab ipsis autem tantorum nominum est usurpata auctoritas, ut populi promptiore animo et maiore veneratione scripta haec reciperent. Ergo, aiunt adversarii, auctoritas httiusuiodi Liturgiarum in quaestionibus de fide invocari nequit. Quid enim auctoritatis habere possunt in eliquandis demonstrandisvc rebus fidei Liturgiae, quarum origo et auctores sub antiquitatis latebris remanserunt absconditi!

Libenter concedimus viris tura scientia tura doctrinae etiam puritate conspicuis, Liturgias, quorumdaïn Apostolorum vel aliquorum praecipuorum Pontificum nomine insignitas, non fuisse illorum Apostolorum vel Pontificum opus, saltem *quoad omnia,* quae continent, *et quoad formam,* quam saeculo iam quinto induerant. Atvero huiusmodi Liturgias subdola et falsaria manu et ex quadam nefaria conspiratione confictas fuisse, non tantum non conceditur, sed ridiculum esse figmentum facili negotio probatur.

Imprimis enim *negari nequit Apostolos apud ecclesias quas fundarunt, quasdam instituisse* administrandarum sacrarum rerum, Eucharistiae praesertim, *formas, ritualesque leges,* seu consuetudines. Illa autem

(1) Cfr. D. M. BouiX, Tractatus de lure liturgico (ed. 3, Parisiis 1873) p. 45-71. F. A. Zaccaria, Bibliotheca Ritualis I(Romae 1770) p. 55-69; L. A. Muratori, Liturgia Romana Vetus I (Venetiis 1741) 1-15.

primordialia Liturgiae instituta, fieri non poterat quin, in qualibet nascenti ecclesia, pro rei gravitate et summa erga fundatorem reverentia, serius ocius sedulo colligerentur et conscriberentur. Postea utique plura addita sunt, ita ut non omnia Apostolis vindicari possint. Verumtamen « auctoritas liturgiarum non ex titulis, sed ex usu ecclesiarum repetenda est; sunt enim non unius, quantumvis magni, doctoris voces et verba, sed ecclesiarum, quae unanimi consensu eam sacrorum formam precesque probarunt » (1). Sufficit ergo demonstrare, eas de facto in ecclesiis in usu fuisse vel adhuc esse.

Licet quaedam post obitum Apostoli fundatoris adiecta sint et in usum inducta, ob praecipuam tamen et fundamentalem partem ab Apostolo traditam atque acceptam, primam huiusmodi conscriptam collectionem nullo melius quam ipsius nomine insigniri decebat. Ea vera denominatione nullus decipiebatur, sicut hodie nullus decipitur dum Gregorianum adhuc vocamus missale romanum, cui post Gregonum Magnum multa adiecta esse, immutata multa, neminem fugit. Ergo factum quod exstant quaedam antiquae Liturgiae nomine Apostolorum inscriptae, licet ipsimet Apostoli eas non conscripserint, nullam fraudem, nullam conspirationem prodit; sed posita ecclesiarum ab Apostolis fundatione, id omnino ita evenire debuit.

Quod attinet in specie Sacramentariuin Leonianuin, luculenter apparet id inulta continere S. Leoni revera adscribenda (2). Quod autem manuscriptum, cui tanquam typo accomodata fuisse videntur caetera quas nunc exstant exemplaria, post S. Leonem exaratum fuerit, id probat transcriptorem voluisse antiquum exemplar describere; ita ut codex quem scripsit recentior quidem sit sancto Leone, non autem opus ipsum, quod transcripsit.

Frusta ergo aliquis persuadere tentaret et apocryphas et nullius auctoritatis esse varias tum Orientis tum Occidentis Liturgias, ex eo quod scriptae non fuerint ab iis quorum nomina prae se ferunt.

b) Alii putant *additiones et immutationes temporis posterioris Liturgiarum auctoritatem diminuisse.* Verumtamen accessiones et immutationes, quae decursu saeculorum ipsis libris liturgicis factae sunt, nullatenus officiunt Liturgiarum auctoritati in probando dogmate, ut quis putaret. Dum enim ecclesiae in suam Liturgiam novas formulas introducunt, eas hoc ipso probant et per eas suam fidem et doctrinam exprimunt et profitentur. Unde sub hoc respectu nihil refert, scire, utrum aliquid in primitivo alicuius Liturgiae codice scriptum fuerit, an vero postea decursu temporum accesserit; statira ac constat tales

(1) J. A. Assbwani, Codex liturg. III. p. 28.

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, De libris liturgicis deque iure ex eis manante (Tuurini-Koiuae 1940) p. 19-23.

ritus et preces apud aliquam ecclesiam in usu fuisse, fidem et doctrinam huius ecclesiae testantur; et in hoc totum est fundamentum valoris dogmatici Liturgiarum. Liturgiarum auctoritas igitur omnino independens est a quaestione historica de ipsarum origine atque evolutione. Etiamsi penitus ignoretur, quomodo exorta fuerit aliqua Liturgiae forma, et quis ipsius auctor fuerit, et quid primitus, quid postea tali vel tali saeculo continuerit, modo constet eam de facto fuisse Liturgiam talium ecclesiarum, constabit hoc ipso de illarum ecclesiarum fide et doctrina.

Unde si probetur vel Ecclesiam Romanam, vel Ecclesiam Universalem aliquid doctrinae seu dogmatis per suas Liturgias unanimiter profiteri aut professas esse, doctrina illa hoc ipso demonstratur vera saltem ita. ut, si per aliquod tempus tantum in Liturgia Romana tenebatur, hoc ipso tempore tamquam doctrina Ecclesiae habenda sit. Repugnat enim Ecclesiam catholicam in suo capite vel in capite simul et membris, erroribus deturbari.

e) Obiit,itur deinde: *Liturgias interdum ab haereticis vitiatas esse et postea ita corruptas in usu mansisse.*

Leo Allatius (Allacci) plures notavit errores in Graecorum libro « Triodo », et in ipsorum libro, Pentecostarion, ac in nonnullis aliis voluminibus liturgicis ecclesiarum graecarum. Item missali mozarabico, licet a piis et eruditis viris confecto, labente tamen octavo saeculo aliqui irrepserant textus non parum faventes haeresi eorum, qui dicebant, Christum, quatenus hominem, adoptione, non natura, filium Dei esse. Cuius quidem falsificationis suspectus maxime fuit Felix Urgellensis Episcopus ipsiusque olim discipulus Elipandus, Archiepiscopus Toletanus, qui fuerunt praecipui huius haereseos fautores (1).

Citari etiam possunt, tamquam haereticorum labe maculata, *Anaphoron Dioscori,* et *Ordo baptismatis Severi Patriarchae Antiocheni,* quem edidit Guido Fabricius. Ex vetustioribus missalibus Chaldaicis constat tres exstare Liturgias venenum Nestorianorum doctrinae recondentes; Liturgiam scilicet quae dicitur Apostolorum, Liturgiam Theodori, et Liturgiam Nestorii; qui tamen libri nunc vero non amplius ab unitis cum Ecclesia catholica Chaldaeis adhibentur. Cum ergo toties haeretici virus suum in Liturgias infuderint, veteres, libri liturgici, ubi de quaestione fidei agitur, auctoritate destituti videntur.

Quae obiectio vero probat tantummodo Liturgias ab ecclesiis haereticis adhibitas non valere generatim ad probandam rectam fidem; quod nedum negemus, probavimus supra, non posse populum aliquem in haeresim labi, quin noviter receptum errorem in Liturgiam suam

(1) De quo videsis J. Bona, Rerum liturg. lib. 1. cap. 2. sect. 2.
Le Brun (Brunius) tom II. dissert. 5 art 2 sect. 2: Joannes Pinius, De liturgia antiqua cap 4 § 3., Leslaeus, Praef. in Missale Mozarab. p. 35.

introducat. Si enim intactam servaret Liturgiam haeresi anteriorem, cum illa pura sit, ex hypothesi, est etiam introducendo errori contraria. Unde populus ille, ne suam quotidie audiat condemnationem et a fide antiqua defectionem, Liturgiam mutare quodammodo cogitur et suae haeresi accommodare. Nihilominus multa sunt in antiquis Liturgiis ecclesiarum haereticarum, quae omnino cum recta fide et cum Liturgiis catholicis concordant. Haec enim contra Protestantes aliosque recentiores haereticos summo iure urgentur.

Quis non videt v. g. conclamatam esse et ad nihilum redactam Protestantium calumniam, qua affirmant quosdam articulos nuperis temporibus ab Ecclesia catholica fuisse excogitatos et sparsos, quando ipsis exhibentur iidem articuli in antiquis haereticorum etiam Liturgiis expressi? Si antiquitus ipsi etiam haeretici articulos illos profitebantur, apertum mendacium est eos recentibus saeculis per falsas decretales aliove modo fuisse primum invectos.

Et hoc sensu magni ponderis quandoque esse possunt etiam haereticorum Liturgiae.

(l) Obiicitur deinde: *veteres libros liturgieos,* quales ad nos pervenere, *plurimas passos esse mutilationes,* ita ut nihil aliud fere sint, quam quaedam fragmentorum absque ordine congeries; ad quos ergo in demonstrandis rebus fidei immerito recurri.

Cui obiectioni respondetur: Quamvis omnes huiusmodi libri non integri forte ad nos pervenerint, sed multae eorum partes deperierint, id tamen quod superest harum ecclesiarum fidem et doctrinam testatur, dummodo aliunde certo sit eos ad talis temporis et talium ecclesiarum Liturgiam pertinere. Gaeterum ditissima sunt quae ad nos pervenere veteris Liturgiae monumenta; ita etiam ut ex eis solis tota series dogmatum catholicorum probari possit, et haeresium figmenta penitus convelli.

e) Obiicitur porro: *veteres libros liturgieos interpolatos esse·,* ergo nullam esse eorum auctoritatem.

Hinc Joseph Assemani (1) confutans argumenta a Dorchaeo (Dorsche, protest, natus a. 1597. multorum operum auctor) contra Liturgiae S. Jacobi authenticitatem obiecta, sic habet: « Haud negamus varias preces fuisse superadditas, aliis breviori summa contractis, ritibus nonnihil immutatis, aut paulo auctis, quod in Liturgiis frequens contingit». Item Vezzozi, dum contra Basnage sustinet Sacramentarii Gelasiani antiquitatem, fatetur multa post Gelasium fuisse addita atque introducta (2). Et ante Vezzoz'um Thomasius ipse dixerat (Praef. ad Codices sacr. p. VI): » Huic codici nonnulla esse apposita sequenti saeculo... Huiusmodi sacros libros non ad meram

(1) J. Assemani. Codex liturg. Eccl. univers, lib. IV. part 2. praef. p. XXVIII.
(2) Vezzosi, Opera Thomasii, Praefatio in tom. VI, p. XXII.

eruditionem conscribi, sed ad usum potissimum ecclesiarum; inde novas semper accessiones pati oportet, prout ipsa consuetudinis temporisque ratio tulerit ».

Ad quam difficultatem ita respondetur: Additiones et mutationes de quibus in obiectione, nihil introducebant quod dogmati in Liturgiis iam contento adversaretur; nec habendae sunt tamquam interpolat iones, sed tamquam pretiosissimae accessiones et evolutiones. Ea quippe est Liturgiae. natura, ut; debeat semper aliis atque aliis Sanctorum et solemnitatum festivitatibus augeri atque ditari. Illae autem accessiones minime eum interpolationibus sunt confundendae: interpolatio enim dicitur textus falsilieatio; insuper interpolationi proprium est, ut fiat quasi furtim et absque auctoritate publica. Praedictae autem accessiones sive etiam immutationes fiebant publica ecclesiarum auctoritate. Absurdum ergo est eas pro interpolationibus habere. Sicut enim Justinianus quando legem aliquam suo codici addebat, non eum interpolabat, sed ditabat, ita idem profecto dicendum est quando in suis Liturgiis ecclesiae aliquid addunt aut etiam immutant.

/) Contra *Protcstantium* obiectionem, qui *solum priorum saeeulorum testimonia ut certo pura admittunt, primis IV saeculis nullam exstitisse Liturgiam scriptam* indeque Liturgiae auctoritatem nihil valere contra eos, iam F. A. Zaccaria(l) ita respondit: «Quis enim persuadere sibi possit, non exiguam certe orationum, consecrationum, benedictionem, antiphonarum farraginem, quae tamen sequentibus saeculis multum aderevit, memoriae ab omnibus episcopis presbyterisvc fuisse mandatam, et veluti ex tempore quatuor saeculis recitatem? Narrat Gregorius Turonensis (2) Sidonium Avernorum Episcopum quadam die ad festivitatem basilicae monasterii S. Cyriaci invitatum adeessisse, oblatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratum a tempore cunctum festivitatis opus explicuisse, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus hominem locutum fuisse sed angelum. Avernis ergo miraculum quoddam visum fuit:, Sidonium imius festivitatis opus memoriter semel complesse, nec *Brumms Piniusve* dubitant isthaec miracula quatuor saeculorum spatio amplificare, iliaque ad omnes omnium toto late orbe ecclesiarum ministras extendere? Et illud heic quoque notandum, cum Sidonius anno 471 Episcopus sit renuntiatus, annoque 488 aut insequente vita cesserit, quo tempore illa acciderunt pervulgatum traditione esse debuisse, uno solum saeculo ante ministros omnes *festivitatum* opera memoriter complevisse, uti tunc Si-

(1) F. A. Zaccaria, Bibliotheca Ritualis I p. LXXXV.
(2) Historia Francorum *2, 22.*

donius. Quid ergo tanta Sidonium admiratione prosequebantur Averni? Quamquam demus, veram esse Brunü et Pinii sententiam, concedamusque quinto primum saeculo liturgias scribi coepisse: illae utique scripto commendatae tum fuerunt quae antea memoriter recitabantur ».

Constat de cetero omnino iam ante saeculum V libros liturgicos conscriptos fuisse (1).

Etiamsi Liturgiae quinto demum saeculo scriptae fuissent, nequaquam sequeretur exinde Liturgias valore dogmatico destitui·, nam aut nihil aliud essent quam ipsaemet liturgiae IV priorum saeculorum, memoriter quidem, sed summa cura conservatae et transmissae. Scriptum nempe fuisset quinto tantum saeculo; at scriptum quod antea frequentari solitum erat, nou aliud. Aut tunc, noviter ortae essent: sed etiam tunc maneret earum ad dogma demonstrandum inconcussum robur: nam testarentur saltem ecclesiarum catholicarum huius temporis fidem atque doctrinam; porre neque hoc, neque ullo alio tempore erronea esse potuit fides et doctrina multarum ecclesiarum idem cum ecclesia romana profltentium; quia alioquiu catholicam ipsam ecclesiam error invadere posset, quod numquam eventurum promisit Christus.

g) Putant aliqui, *Ecclesiam posse errare in secundariis, quae admittit in suo cultu.* Contra quod dicendum est: Ecclesia aliquando sequitur opinionem probabilem circa ritus sacramentales eo sensu, quod ad tutius praescribit eos etiam adhiberi, qui nonnisi probabiliter ad valorem Sacramenti requiruntur.

Iu sacramento Confirmationis v. g. iubet fieri chrismationem et manuum impositionem, licet non sit indubitata utriusque ritus necessitas ad valorem Sacramenti. At dum ita praescribit ac in praxi rem sacramentalem peragit, nullatenus liturgice exprimit et profitetur, talem et talem ritum esse de necessitate ad valorem sacramenti adhibendum. At vero dum Ecclesia in suaLiturgia universali aliquod dogma clare exprimit et profitetur, numquam sequitur opinionem probabilem; etiamsi tale dogma exprimat per ritum ad essentiam Sacramenti non pertinentem. Dum v. g. in Baptismate exsufflationes et orationum formulas adhibet ad pellendum daemonem, certa fit et non tantum probabilis, fides Ecclesiae de praesentia daemonis et peccati originalis in puero recens nato et nondum baptizato. Item si Ecclesia catholica proprie et directe Sacrificium offerret pro catechumenis vivis et defunctis, certum inde fieret, posse hoc modo Sacrificium offerri.

Nam si evenire posset ut Ecclesia catholica credat, affirmet et profiteretur errores, iam non esset columna et firmamentum veritatis; e contra portae inferi eam praevalere possunt, id quod remanet con-

(1) Cfr. Pn. ОРРЕПIЕГМ, De libris liturgicis deque iure ex cis manantibus(Taurini-Romac 1940) 1-180 passim.

eludendum, sive errores, quos sic Ecclesia profiteretur et admitteret, versarentur circa essentialia Sacramentorum et religionis, sive circa secundaria. Dum enim Ecclesia manifestat, exprimit et profitetur quid credat, neque in magno neque in parvo errare potest.

Nec dicatur *Liturgiam Hispanicam fuisse primo puram et ab ecclesiis catholicis adhibitam, et tamen in eam errorem irrepsisse;* undo *timendum* sit *ne idem* forte *in caeteris ecclesiarum* etiam Sedi Apostolicae unitarum *Liturgiis acciderit.* Huiusmodi factum, nedum thesi nostrae adversetur, eam e contra vehementer confirmat. Probat enim non posse diu permanere errorem, qui subdole (favente inadvortentia aut indifferentia generali) in Liturgiam alicuius ecclesiae catholicae introductus fuit, et a fortiori non posse talem errorem multum diffundi.

Statim enim, cum animadversum est hanc Liturgiam continere errorem, viri ecclesiastici eam refutaverunt, immo Summi Pontifices eam suppresserunt, quamvis posteriores Gregorio VU eiusdem revisionem et redintegrationem permiserunt. Existimant etiam Le Brun et loannes Pinius(I), quamvis aliqua dictae Liturgiae exemplaria ab Elipando et Felice Urgelleusi corrupta fuerint, et in sensum sui erroris contorta, tamen paucissima fuisse haec exemplaria. Correcta autem luere, aut etiam destructa, ut putat Leslaeus; ita ut cum errore Adoptiatarum evanuerint.

Adde textus ab Elipando et Felice Urgellensi substitutos, non fuisse (ob materiae subtilitatem) de eorum numero qui clare fidem et doctrinam ecclesiarum exprimunt; unde thesim nostram non attingunt.

Insuper nos loquimur tantum de Liturgiis quae vel in Ecclesia Romana, vel in caeteris ipsi unitis ecclesiis adhibitae sunt. Porro huiusmodi Liturgias non potuit haeresis corrumpere: alioquin posset Ecclesia catholica haeresim amplecti et profiteri. Liturgiae ergo illae, hoc ipso quod doctrinam multarum ecclesiarum sedi Apostolicae consentientium exprimant, erroneae sive haereticae esse nequeunt, ac proinde, veritatem dogmatum per eas expressorum rigorose demonstrant. Unde tota obiectio extra quaestionem est, nec assertam thesim attingit.

Interdum *etiam in Liturgiis ecclesiarum catholicarum irrepsit error:* in Missa v. g. quae s. Gregorio Nazianzcno tribuitur, quaeque olim Alexandriae celeberrima fuit, aliqua vestigia haereseos Monophysitarum reperta sunt; quae non tantum apud monophysitas, sed etiam apud orthodoxos Aegyptios in usu erat. Praeterea etiam in aliquibus antiquis missalibus Occidentis occurrit Missa pro levamine animarum

(1) Dv Liturgia autiqua hispaua, n, 197; cf. D. M. Bouix, op. cit. p. 70 as.

damnatarum, quamvis nemo nesciat, acatholicam esse sententiam, qua asseritur, damnatos per orationes nostras posse levamen accipere.

Verumtamen ex obiectione sequitur tantum ab errore puram necessario non esse Liturgiam alicuius ecclesiae particularis, aut etiam paucarum ecclesiarum particularium; quod nemo negat. Quaestio autem est, utrum pro vera et certa tenenda sit doctrina, quam clare et publice p< r Liturgiam profitentur vel Ecclesia Romana, vel universalitas ecclesiarum catholicarum. Cum ergo obiectio memoret tantum errores, qui in Liturgiam abcuius vel aliquarum particularium ecclesiarum forte aliquando irrepserunt, extra quaestionem vagatur; nec est cur ipsammet de factis obiectis discussionem ingrediamur.

h) Facta historica vel physice falsa in Legendis Breviarii alibive relata ex eo quod in Liturgia exhibentur, non efficiuntur certa.

Quamvis valor Liturgiae dogmaticus in genere sit certissimus, tamen ex eo, quod quaedam res historice vel physice falsae in Liturgia dicuntur, eae etiam historice vel physice verae non efficiuntur. Solum dici et probari potest, eas eo, quod in publico Ecclesiae cultu adhibentur, nihil continere contra fidem et bonos mores. Cultus liturgicus enim est ad exprimendam fidem in Deum et Sanctos eorumque relationem ad homines, et ad docendum homines fidem et bonos mores, non ad defendendam veritatem aliquarum rerum, quae sunt historice vel physice falsae.

Hinc facta historica in legendis Breviarii alibive relata eo quod in cultu liturgico leguntur, certa non efficiuntur neque ea, quae historice vel physice sunt falsa, vera redduntur.

Quam iniuste simul et temere saeculo proxime elapso conquestum sit de falsitate historica legendarum Breviarii romani, facile hodie eruditi evincunt. Multa scilicet in dictis legendis asserta, quae pseudolifurgistae saeculi XVIII carpserant, irriserant atque audacter de medio abstulerant, genuina nunc et omnino certa comperta sunt, ita ut in praefatis legendis pauca tantum exstent, quae probari possint, sinceritati historicae contraria. At permittamus aliqua saltem vel etiam plura in eis reperiri historice falsa: id minime officit doctrinae qua Liturgiae valorem dogmaticum vindicamus.

Nam,

1° Ecclesia, dum huiusmodi facta historica in Breviariorum legendis et in Martyrologio proponit, suo modo agendi simul sufficienter exprimit haec facta ad aedificationem tantum in Liturgiis poni, non autem tamquam partem doctrinae fidei. Permittit enim veritatem istorum factorum ab eruditis viris in quaestionem vocari, atque etiam ex eorum animadversionibus quandoque legendas Breviarii et textum

Martyrologii correxit, ibi praesertim, ubi rationes convincentes proponuntur. Talia quoad legenda in Breviario Romano expresse adnotavit Benedictus XIV (I) his verbis: «Licet facta historica», inquit, « in illo relata et approbata, non modicam habeant auctoritatem, non vetitum est ne modeste et cum gravi fundamento, difficultates de eis excitentur, et Sedis Apostolicae iudicio subiiciantur ». Atque idem tradit quoad Martyrologium: «Omnia quae in Martyrologium inserta sunt, inconcussae veritatis non sunt, ut ex repetitis illius correctionibus constat» (2). Praedicta ergo facta non pertinent ad eam Liturgiam, qua Ecclesia Romana vel Ecclesia universalis aliquod dogma *clare* profitetur et exprimit. Ex eo ergo, quod facta ista per Liturgiam non efficiantur certa, non sequitur nutare tliesim, qua sustinuimus veram esse doctrinam, clare in Liturgia universali, vel in Liturgia Romana expressam.

2° Caeterum omnino certum est huiusmodi *jacta historica, in Liturgiamvel* Ecclesiae romanae, vel Ecclesiae universalis, *introd/incta, nihil continere contra fidem aut bonos mores.* Quamvis enim non proponantur tamquam omnino credenda quoad veritatem historicam, adhibentur tamen tamquam medium aptum ad animarum aedificationem. Ecclesia autem catholica errare nequit reputando aptum ad aedificationem, quod esset e contra noxium: Nam « quod est contra fidem aut bonos mores, Ecclesia nec facit, nec docet» (Augustinus). Ergo ex hoc solo, quod factum aliquod historicum adhibeatur in Liturgia romana vel in Liturgia universali Ecclesiae catholicae, certum fit huiusmodi factum (etiam si forte non esset historice vel physice verum) nihil continere contra fidem aut bonos mores. Qua praerogativa valde notanda carent, aliae Liturgiae particulares. Cum enim quaelibet ecclesia particularis praeter Romanam nec quoad fidem, nec quoad mores infallibilis sit, accidere potest, ut in legendas introducant facta, non tantum historice falsa, sed etiam fidei et bonis moribus contraria.

(1) Do canoniz. lib IV part. 2 c. 13 n. 8.
(2) Ibd. cap. 17 n. 9.

Caput V.

Liturgia praecipuam praebet cccasionem et materiam exponendae et praedicandae doctrinae catholicae.

Liturgia, quia exprimit fidem Ecclesiae, praecipuam praebet occasionem et materiam praedicandae doctrinae catholicae.

1) Sicut Lectiones in officio, sicut Lectio et Epistola et Evangelium in Missa ex professo inducta sunt ad instructionem populi, ita etiam, iuxta usum omnino primaevum homilia post Evangelium Missae. Innumeri sermones et « tractatus » a Pontificibus et Patribus nobis relicti, praedicati fuerunt intra Missarum solemnia aut saltem in conventibus liturgicis. Quod et' hactenus iure ac merito fieri solet, cum populus Christianus ad officia liturgica convenire debeat aut cupiat, et in his solet esse melius disposita ad praedicationem accipiendam.

2) Sed sermones antiqui omnes fere agunt vel de iis quae lecta sunt aut cantata, vel de mysterio festi quod celebratur, vel de caeremoniarum significatione.

Et hoc idem hactenus commendat Ecclesia. Hinc *Caeremoniale Episcoporum* I, 22, 2 praescribit: «Sermo regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti».

Concilium Tridentinum (1) formale dedit praeceptum, dicens: « Ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant et non sit qui frangat eis, *mandat* sancta Synodus *pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter* inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios *ex iis, quae in Missa leguntur aliquid exponant,* atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis ».

Est ergo formale praeceptum: « mandat sancta Synodus»; non sufficeret semel in anno vel raro, « frequenter fiat »; aliquod mysterium huius Sacrificii « exponant », non secundum methodos nimis specula-

(1) Sessio 22 c. 8 (Denzinoer [1911] n. 946).

tivas vel theoreticas, sed secundum nonnas simul claras, securas, praeficas, quas dedit ipsa Ecelsia, i. e. « ex iis quae in Missa leguntur », ex textibus Missalis. Hoc officium Concilium imponit primarie quidem pastoribus, deinde vero omnibus « et singulis curam animarum gerentibus ».

Quod hic expressis verbis de Missa tantum dicitur, adaequato modo valet etiam do aliis sacris ritibus Ecclesiae: undo v. g. *Concilium Mechliniense* (Malines 1922) in haec verba prodiit (1): « Cum linis cultus Ecclesiae sit gloriam Dei simulque sanctificationem procurare fidelibus, *studeant omnes curam animarum habentes, ut in ritibus, textibus liturgicis, mysteriisque festorum, quae,* teste Concilio Tridentino, *magnam continent eruditionem, populus fidelis rite instituatur;* quod praesertim cum abundantiore fructu liet in scholis primariis, in instructionibus catechisticis, in gymnasiis iuvenum et puellarum, uno verbo, in omnibus juventutis Christianae institutis. Profecto pia et scia participatio fidelium cultui liturgico *mullum conferet ad illam divinarum rerumhodie grassantem ignorantiam impugnandam».* Et alio loco (2) pergit: « *Summa Ope studeant parochi, ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant. Quod sacri ministerii officium enixe inculcat Catechismus ad parochos* » (3).

3) Ex consideratione historica apparet, ipsam Liturgiam sacram instrumentum praecipuum fuisse ad diffundendam doctrinam Christianam; ipsam quoque vivam apud fideles scientiam et cognitionem eiusdem doctrinae Christianae conservasse vel renovasse.

Lectiones enim tam in Missa quam in Officio ex professo introductae sunt ad instruendum populum de veritatibus fidei; similiter etiam omnes caeremoniae in administratione Sacramentorum et Sacrameutalium instructioni fidelium servire debent.

Missa catechumenorum enim historice considerata, est praeprimis catechismus fidei, quo catechumeni instruebantur de doctrina Christiana vel praeparabantur ad recipienda Sacramenta Baptismi, Confirmationis, s. Eucharistiae.

Pro Fidelibus vero, simul Missae Catechumenorum assistentibus, praedicta instructio semper renovatio erat vel repetitio illarum veritatum, quibus iam imbuti erant; ex repetita autem iteratione ipsarum cognitio profundius firmiusque tenebatur.

Decursu temporis institutum catechumenorum recessit; tamen Ecclesia Missam catechumenorum retinuit tamquam optimum medium ad instruendos fideles de doctrina Christiana.

(1) Acta Concilii Meohliniensis n. 257.
(2) Ibd. n. 273.
(3) Catechistuus ad parochos IT, 1, 18.

Ipi i in ll m l ni praesertim fiebat lectionibus ex Sacra Scriptura desumptis: ex \ ı·ı<ıı nempe Testamento, praesertim ex prophetis, porro ex Actibus et Epistolii Apostolorum, et praesertim ex ipsis sanctis Evangeliis. Unde usus S. Scripturae in cultu influxum decisivum habuit in statuendum Canonetn sacrorum librorum: libri apocryphi, quia Ecclesia romana eis non utebatur in conventibus liturgicis, non assumpti sunt. Inter singulas lectiones cantare solebant Psalmos.

In line omnia, quae dixerant propheta, apostolus, evangelium et (antica, secundum verba Germani Monachi circa finem saeculi VI, statini per homiliam Episcopi, lingua simpliciore adstanti populo exponebantur, ita tamen ut per simplicem explicationis linguam non abhorrerentur eruditiores, neque per stilum exquisitiorem obscuraretur ipsa res audita. Ita ex usu omnino primitivo, post Evangelium instituta est homilia.

Talis methodus homiletics iam apud doctissimos quosque viras iudaeorum in usu erat, sicut patet ex multis locis S. Scripturae, praesertim Novi Testamenti; *ipse Dominus* deinde dum in synagoga docebat, saepissime etiam in itinere suo missionario eadem methodo usus est. Haud raro enim sermonem suum adnectebat ad verba modo in synagoga lecta vel ex prohetis aut ex lege dicta.

Non minus consuetudinarie fiebat a *Sanctis Patribus.* Ad quod probandum sufficit, si ex Breviario hodierno Ecclesiae Romanae vel ex Breviario Monastico colliguntur vestigia (I). Sicut, enim in Dominicis per annum et in festis Domini, ita etiam saepe in festis Sanctorum homilia quae legitur in 111. Nocturno Matutinorum, immediate adnectit ad ea quae modo lecta vel cantata sunt, vel ad mysteria festi, quod celebratur, vel ad caeremoniarum significationem modo peragendarum vel peractarum eaque explicat.

Quae methodus exponendi scilicet eiusque textus et ritus S. Patribus omnino familiaris erat, qui ideo Liturgiam fidelibus exponendam

(1) Sic v. g. in Dominica I Adv. S. Gregorius ita homiliam suam ad praecedentem lectionem S. Evangelli adnectit: «Huic enim lectioni sancti Evangelii, quam modo vestra fraternitas audivit... ·: Dom. III Adv. homilia sio incipit: « Ex huius nobis lectionis verbis fratres carissimi... ·; In Nativitate D. N. sio habes: « Quia largiente Domino, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evangelica lectione non possumus, sed nos aliquid vel breviter dicere, Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. · In festo Epiphaniae Domini Homilia I S. Gregorii 1 Magni Papae super Evangelia incipit: «Sicut in lectione evangelica, fratres carissimi, audistis, caeli rege nato, rex terrae turbatus est·. Similiter in festis Sanctorum: In festo SS Innocentium sermo S. Augustini sic incipit: « Hodie, fratres carissimi, natalem illorum Infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo rege interfectos esse, Evangelii textus eloquitur.· Homilia ad *Commune Confessoris Pontificis* incipit: «Sancti Evangelii, Fratres carissimi, aperta est vobis lectio, recitata»; ad *Commune Virginum* incipit: «Saepe vos, fratres carissimi, admoneo prava opera fugare, mundi huius inquinamenta devitare, *sed hodierna sancti Evangelii lectione compellor* dicere ut et bona quae agitis, cum magna cautela teneatis ·. Similiter saepius et alibi.

esse censebant, quia sibi persuasum habebant « Ecclesiam quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbare, nec tacere, nec facere » (J) ac proinde in cultu publico et officiali Ecclesiae non tantum nihil contra fidem inveniri, sed sacros ritus magnam populi eruditionem continere.

Quam methodum tam familiarem Domino et SS. Patribus commendat etiam Concilium Tridentinum, cum, ad traditionéin fideliter adnectendo, praescribat praedicationem liturgico homileticam (2).

Auctores quoque *Oatechismi,* ex eiusdem Concilii Tridentini decreto conscripti, in appendice seriem LXIII sermonum proponunt, qui in LXIIT Dominicis et Festis principalioribus tamquam homiliae habendi essent, ea praesertim ratione ducti, quia putabant, in Liturgia sacra harum dierum *totam* doctrinam Evangelii contentam esse et ideo sufficere, si Fideles instruerentur in veritatibus lidei per homiliam de illis quae modo lecta vel cantata essent in cultu. Quae series sermonum sub hoc titulo praesentatur: «Applicatio et distributio materiarum, in hoc catechismo Concilii Tridentini contentarum iuxta evangelia omnium Dominicarum », qui titulus sat ostendit scopum homiliarium.

Antiquam hanc catholicam praxim et traditionem de novo commendavit Summus Pontifex de restauratione Liturgiae optime meritus, Pius X in Encyclica «Acerbo nimis», in qua omni claritate et gravitate postulat et inculcat tum praedicationem tum catechesim liturgico-homileticam. Quod utinain multo frequentius liat! Magnopere enim alteri modo praestat.

Talis enim instructio praeprimis illo gaudet privilegio, quod omnino innititur fundamento Sacrae Scripturae, i. e. verbo ipsius Domini, et ita clarius apparet, ipsum Christum continuare tam litterarie quam mystice, evangelizationem suam in Ecclesia; Sacerdotem vero esse ministrum secundarium, cuius opus primarium in catechesi et praedicatione est edicere et exponere doctrinam Christi.

Deinde, si cultus Ecclesiae debito modo exponatur, huiusmodi praedicatio sane solidam doctrinam praebebit, ut ex praefatis elucet.

De caetero vero attentionem figet, quia minus abstracta est; curiositatem excitabit, quia magis nova est, et homines amant intelligere, quae continuo vident; melius etiam memoria servabitur, quia

(1) Augustinus, Epistola 55, 35 (ad inquisit. Januarii).

(2) Concilium Tridentinum, Sessio XXII, de sacriiicio Missae c. 8. Ad huiusmodi praedicationem materiam sat amplam invenies v. g. in A. Meyenberg, Homiletischc mid katechetische Studien (ed. 6, Luzern 1908), agit in specie de liturgia p. 170-632; A. VlGOUREL, La liturgie et la vie chrétienne (Paris 1909); P. Parsoh, Das Jahr des Helles (Klosterneuburg 1932 ss.); F. X. Reck, Das Missale als Bctrachtungsbuch (Freiburg i. B. 1909 as); quamplurima capita in periodicis liturgicis, de quibus cfr. Pu. Oppenheim, Introductio historica in litteras liturgicas (ed. 2, Taurini-Romae 1945) p. 117 s.

ipsis rebus visis aut verbis lectis frequentius renovabitur; *corda* movebit quia Liturgia sacra omnia tanto allectu pietatis et amoris exprimit; *voluntatem* etiam facilius ad praxim virtutum inclinabit, ut ex sequentibus patebit.

Per multa saecula homilia unica forma praedicationis erat. Multis locis tam arcte cum ipso sancto Evangelio cohaerere putabatur, ut v. g. in Liturgia gallicana osculum libro sanctorum Evangeliorum, finita lectione, non daretur, nisi finito sermone.

Sicut Missa catechumenorum, ita etiam *omnes ritus et caeremoniae* in administratione Sacramentorum et Sacramentalium inservire possunt instructioni populi, ut ita doctrina Ecclesiae de Sacramentis et Sacramentalibus facilius et luculentius diffundatur.

Exemplo sit solummodo administratio Baptismi tempore antiquiore (1): in vigilia Paschae vel Pentecostes EpLcopus de more praesidebat functionibus sacris, ad quas magna multitudo plebis convenerat, quae insuper intelligebat linguam cultus; omnes et singuli ritus plenum suum tunc habebant valorem et ambitum; ipsae caeremoniae ampliore modo dramatice peragebantur: omnes ritus et caeremoniae catechumenis ostendere debebant, se per Baptismum e potestate satanae eripi, novosque fieri homines, animas radicaliter transformari, novamque vitam ipsis communicari. Ideo tot exorcismi tempore catechumenatus, lectiones prolixiores totam antecedentem instructionem ultimo comprehendebant, ipsi catechumeni verbis et gestibus abrenuntiabant, diabolo, solemnis sequebatur processio ad fontem, ubi Pontifex praeclara forma benedicebat aquam, administrabat Baptismum et Confirmationem; cum cantu Litaniarum deinde in ecclesiam redibant, solemnis sequebatur celebratio Missae, cui primo adsistebant, in qua prima vice etiam participabant s. communione, vestes accipiebant albas, in signum innocentiae, quibus induti quotidie per sequentem octavam assistebant Missae stationali. Omnes hi aliive ritus tam catechumenis quam fidelibus demonstrabant ad oculos grave momentum el effectus Baptismi. Similiter erat in solemni administratione aliorum Sacramentorum, cum multis suis et animum moventibus caeremoniis: in reconciliatione peccatorum, in sacris ordinationibus etc.: omnes caeremoniae etiam instructioni de effectu intento et obtento serviebant.

Cum Liturgia sit locus theologicus praestans, ex partibus ex missali et breviario aliisque libris liturgicis desumptis absque magna difficultate totum dogma catholicum sat completum componi posset (2). Hic pauca quaedam exempla tantum thesim enuntiatam illustrent (3).

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus do Baptismo, 4 vol. (Taurini-Romae 1943-1947).

(2) Cfr. v. g. G. Lefebvre, Liturgia (Abbaye do Saint-André lez Bruges 1922); B. Back, Werdo Licht (Freiburg Br. 1937 eq.) 3 voll; P. Pahsch, Das Jahr des Heiles 3 voll (Klosterneuburg bel Wien 1932 ssq.): adnotationes ad versiones missalis et breviarii In linguas vernaculas.

(3) Alia uberiora apud Pii. Oppenheim. Theologia liturgica specialis (praeparatui).

Liturgia sabbati sancti, octavae additae ad festum Paschae et Pentecostes pulchram materiam praeberent ad componendum tractatum *de baptismo:* ex eis deducitur ablutio cum aqua, formula, regeneratio de Spiritu Sancto, liberatio a peccatis, vocatio supernaturalis vera et realis, vita nova; gratia adoptionis, induitio Christi et vestitio cum eo, initium novae existentiae in sanctitate et in unitate Ecclesiae, aliaque.

Vigilia et octava Pentecostes, additis orationibus ad *Spiritum Sanctum,* quae pro praeparatione ad Missam in initio missalis positae sunt, continent veram theologiam tertiae in SS. Trinitate personae eiusque operis (1): processionem et missionem Spiritus Sancti, eiusdem habitationem in animis iustorum, eius mimus qua sanctificatoris, motoris, moderatoris (2), eius functionem qua anima Ecclesiae (3), eius magisterium doctrinale (4).

Missae et officia SS. Apostolorum, Praefatio Apostolorum, Praefatio in ipsa dedicatione altaris et ecclesiae originis gallicanac, prosa et ipsa gallicana *Jerusalem et Sion filiae,* Responsoria hebdomadis III et IV post Pascham facile componere sinunt id quod dicitur *mysterium Ecclesiae,* fundatae et gubernatae a Pastore aeterno, commendatae S. Petro et Apostolis eorumque successoribus, ut sit columna fidei, ovile, centrum vitale et vivificans, ex quo et in quo animae debent operari ipsorum salutem (5).

In Secretis et Postcommunionibus missalis, si quis ipsas solas spectaret, inveniri potest clara *doctrina de sacrificio Missae necnon de s. communione* (6). Liturgia Missarum quadragesimalium continet omnino veram doctrinam peccati et poenitentiae, necnon veram doctrinam de ieiunio.

Si quis praefert, modo magis synthetico, indicare lineas direetivas,

(1) Cfr. Pn. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 251-255.

(2) Cfr. hymnum *Veni creator Spiritus* et prosam *Veni Sancte Spiritus.*

(3) Ecclesia *Spiritu Sancto congregata* (Oratio feriae VI Pentecostes); Deus, *cuius Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur* (Oratio Pro omni gradu Ecclesiae) et alia.

(4) *Inducat in omnem,* sicut tuus promisit Filius, *veritatem* (Oratio I ferlao IV Pentecostes).

(5> Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 43 s; 50-56; 133-164; 216-220.

(6) Exemplo sint tres orationes, quae illustrant quommodo perfecerit s. Eucharistia sacrificia antiquiora, porro quale sit munus redemptorium Missae, qualisquo eiusdem operatio sanctificatrix, scii. *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti* (Secreta dom. VII post Pent.), *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur opus nostrae redemptionis exercetur* (Secreta dom. IX post Pentec.) *Perficiant in nobis, Domine, quaesumus, tua sacramenta quod continent: ut quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus* (Post-oommunio Sabbati Quattuor Temporum Septembris). Cfr. C. Caixewaert, Les fins et les fruits du Sacrifice =■ Lex Questions liturgiques et paroissiales 24 (1939) 20-35.

seu ideas magis fundamentales Liturgiae, tria praesertim capita proponantur: Deus qui est terminus cultus, homo quia est subiectum petens, Christus, quia est mediator (1). Sunt autem permultae aliae veritates quae in textibus et ritibus liturgicis inculcantur: mysterium SS. Trinitatis, doctrina de gratia (2), de novissimis, Mariologia (3), cultus Sanctorum (1), sacerdotii Christiani munus et dignitas (5). Ecclesiologia (6), et multa alia, de quibus in altero huius tractatus volumine plura in extenso habebuntur (7).

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Christi persona et opus secundum textus liturgiae sacrae (Ephein. Liturg. 19 (1935) et 50 (1930) passim); In., Das Konigtum Christi in der Liturgie (München 1931).

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de lure liturgico II. De lege scripta et non scriptu (Taurini-Romae 1939) 94-96.

(3) Ph. Oppenheim, Maria in der lateinischen Liturgie = J. Straeter, Katholischc Mu·ricnkunde 1. Quelicn (Paderborn 1912) p. 183-261; Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 290-308; Id., Maria nolla Liturgia Studl Mariani 1. Conforenze sui movimento Mariano contemporaneo. 1912-1913 (Milano 1944) p.'163-293; In., Maria nella Liturgia Cattolica (Roma 1944).

(4) Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 255-336.

(5) Ibd. p. 165-184; R. Molitor, Vom Sakrament der Weilie. Erwllgungcn nach dem Pontificale Romanum, 2 vol. (Regensburg 1938 s); Ph. Oppenheim, De sacramento Ordinis sacrisque Ordinationibus. Commentationes ad Pontificale Romanum 2 vol. (Taurini-Romae 1946).

(6) Cfr. p. 137 notam 5.

(7) Ph. Oppenheim, Theologia liturgica specialis (praeparatur).

PARS ALTERA

DE VALORE LITURGIAE MORALE ASCETICO, PAEDAGOGICO DE LITURGIAE VITA ET SPIRITU PRAESTANTIA ORATIONIS LITURGICAE

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

C. Callewaert, L'étude et l'esprit de la liturgie = Collationes Brugenses 13 (1908), 088-595; 031-642; 684-698;

F. Cabrol, Le livre de la prière antique (ed. 12, Paris 1910), germ. G. Pletl, Die Liturgie der Kirche (Kempten und München 1906);

P. Gillet, La valeur éducative de la morale catholique, 1911;

M. Festugière, La liturgie catholique. Essai de synthèse, suivi do quelques développements (Maredsous 1913), praesertim p. 50 ss.; 118-148; quem librum partim agnoscendo, partim refutando scripserunt:

Jean-Jobeph Navatel, L'apostolat liturgique ot la piété liturgique (Tournai 1914);

P. Celi, Ascetlca Ignaziana ed esagerazionl del liturgismo — La civiltà cattolica 65 (1914) III, 34-48; 176-188; 683-697; IV, 441-460; 670-689;

P. Marie-Joseph Du Sacre-Coeur, Faut-il délaisser les méthodes des méditations pour retourner à l'ancienne oraison « do liberté · liturgique — Etudes Carmélitaines 1914 ⊫ Les Questions actuelles 116 (1914), 322 sq. => Revue do Clergé Français 78 (1914), 362 ss.;

R. Compaing, Liturgie et Exercices spirituels ⊫ Etudes 139 (1914), 433 ss.;

P. Chabtbnay, Ignatianische Spiritualitüt und liturglsche Frûmmigkoit ·» Stimmon aus Maria Laaoh (1913-14), 551 ss.;

P. Villada, Nuevos ataques à los Ejercicios espirituales de S. Ignazio — Razén y Fe 39 (1914), 280 ss.;

L. Beauduin, La piété de l'Egliso (Louvain 1914);

A. Hammenstede, Die Liturgie ale Erlebnis (Freiburg i. B. 1919);

E. Caronti, La pietà liturgica (Torino 1920);

R. Guardini, Vom Geist der Liturgie (Freiburg i. B. 1921 et saepius, vorsiones in plu ribus linguis);

I. Herwegen, Alte Quellen neuer Kraft. Gesammelte Aufsützo (Düsseldorf 1922); Id., Lumen Christi. Gesammelte Aufsützo (München 1924);

R. Guardini, LIturgischo Bildung (Rothenlels 1923);

V. Michel, Liturgy the life of the Church (Collegeville 1926) = L. Beauduin (ut supra) praesertim, p. 47-59;

Bonav. Rebstook, Liturgische Excrzitlen — Théologie und Glaube 18 (1926), 45 ss.; ofr. Id., in: Excrzltienbliltter der Diôzeso Münster (1929) l et: Liturgische Zeitschrift 3 (1931) 198-207;

G. Morin, Vom Geiste und von dor Zukunft dor katholischen Liturgie = Hochland 25 (1928), 253 ss.;

Chrvsost. Panfoeder, Das Organischo in dor Liturgie (Mainz 1929), 129-178;

L. Bopp, Liturgische Er iehung. Gegebenes und Aufgogebenos (Freiburg l. B. 1929);

R. Aigrain, Liturgia. Encyclopédie populaire des connaissances liturgiques (Paris 1931), praesertim p. 3-27; 59-68; 656-693; 955-1032;

I. Herwegen, Vom christlichen Sein und Leben (Berlin 1931);

B. Capelle, La Liturgie soutien de la morale =∎ Corn-s et Conférences' dos Semaines Liturgiques 9 (1932), 107-125);

C. Callewaert, Liturgicae Institutiones I. Do Sacra Liturgia universim (ed. 3, Urugis 1933), p. 46-55;

D. Von Hildebrand, Liturgie und Porsonliohkeit (Salzburg 1933);

P. Parscu, Liturgische Lebensgestaltung -= Bibel und Liturgie 8 (1933), 5 ss.;

M. Vibujean, La liturgie est «la didasealie de l'Egllse » (Pie XI). B. Par sa doctrine spirituelle — Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 14 (Louvain 1938), 115-131;

Ph. Oppenheim, Christi persona et opus secundum textus liturgicos (Città del Vaticano 1936), p. 32-37 — Ephemerides Liturgicae 50 (1936), 231-242.

TITULUS I.

Valor Liturgiae moralis et asceticus

Liturgia merito habetur ut schola vitae Christianae et perfectae.

Vita Christiana consistit in eo, quod aliquis collaboret cum gratia a Deo sibi oblata et studeat, quomodo in praxim vertat doctrinam Christi eiusque Ecclesiae.

Vita ascetica consistit in eo, quod aliquis moriatur sibi suisque desideriis et vivat Christo.

Ad utrumque Liturgia affert potens suum adiutorium.

Caput I.

Liturgia catholica est ex natura sua sanctificans et praepotens sanctificationis instrumentum.

Liturgiam catholicam esse ex natura sua sanctificantem et praepotens sanctificationis instrumentum patet:

1° per eos ritus, quibus ipsa constat, ex Missae et *Sacramentorum* materia et forma: iis enim *sanctificat ex opere operato;* idque omnino certum est et de fide. Missae enim celebratio et Sacramentorum administratio praecipui actus liturgici sunt.

2° *Caeterae Liturgiae partes* sive ab Apostolis, sive post Apostolos auctoritate ecclesiastica legitime institutae vel approbatae, *mira pollent aptitudine* ut *homines excitent* ac *disponant ad recipiendum* divinae *gratiae* imbrem. Cum enim ea sit hominis natura, ut nonnisi per visibilia ad invisibilia erigere soleat mentem, eaque generalis Dei in reparando et humano genere ad finem supernaturalem deducendo oeconomia, ut per sensibilium rerum media sese ipse in mentes et corda infundat, nemo non videt quam generale et praepotens sancti-

ficationis instrumentum sit Liturgia. Unde tota generatim res liturgica est quasi perennis atque uberrimus sanctificationis fluvius, ad cuius aquas Ecclesia generationes omnes, statis diebus et horis potandas, certa lege adducit (1).

3° Sufficeret legere textus Orationum tum Missalis, tum Ritualis vel Pontificalis, ut quis sibi rationem redderet, quot et quantae gratiae ibi petantur et per consequentiam etiam conferantur, ex variis ritibus liturgicis, quos exhibet Ecclesia.

4° Non minus textus Psalmorum, Canticorum, Hymnorum aliarumque precum in libris liturgicis, praesertim in Breviario, alta voce conclamant orationem liturgicam aptissimum esse instrumentum sanctificationis animarum.

(1) D. M. Bouix, l. c. p. 10 e; cfr. otiaiu infra.

Caput II.

Inter varia systemata asceseos Christianae systema propositum a Sacra Liturgia eminet auctoritate, universalitate, securitate.

Sub voce « ascesis » generatim intelligitur sumina omnium illarum actionum, <[iiibus homo « abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Kegi militaturus oboedientiae fortissima atque praeclara arma» sumit^(l) et per austeritatem vitae homini suo spirituali principatum obtinet super desideria carnis. Nam ex eo quod « caro concupiscit adversum spiritum », homo cogitur, ut continuo per actus mortificationis et sui abnegationis et per bona opera moriatur veteri homini peccati et novum hominem induat, « qui creatus est secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis ». Id vero operando exprimit mysterium mortis et resurrectionis Christi, quod continuo in Sacrificio Missae et in Sacramento eucharistico celebratur; ibi enim Christus Jesus tamquam Summus Sacerdos et Hostia sancta et immaculata se offert et offertur « in remissionem peccatorum » « pro nostra omniumque sallite » ac seipsum dat hominibus, ut vivat in ipsis eosque vita sua adimpleat - « ut vitam habeant et abundantius eam habeant » (2) - ipsosque « configuratos corpori claritatis suae» (3) sibi associet, ut « idem sentiant in seipsis quod et in Christo Jesu » et Christus « formetur in eis », et « per eum quem similem foris agnovimus, intus reformari mereamur » (4), et ita ipse « Sacerdos in aeternum » eos una secuin Patri offerat (5) « in odorem suavitatis » eosque « perficiat munus aeternum » (6).

Hinc ergo intimus quidam nexus existit inter vitam christianam asceticam et Missam sen inter Sacram Liturgiam et ascesim: idem centrum habent eundemque fontem: Sacrificium scilicet Missae, quod est actus primus, supremus et principalis totius cultus divini, « fons

(1) S. Benedictus, Prologua in Regulam Monasteriorum (1 Butleb).
(2) Joh 6, 55.
(3) Phil 3, 21.
(4) Oratio in octava Epiphaniae.
(5) Cfr. Secretam Missae in honorem Christi Summi et Aeterni Sacerdotis.
(6) Ctr. Secretam Feriae II Pentecostes, SS. Trinitatis, et saepius.

omnis sanctitatis » (1), ad quod conveniunt fideles, ut inde hauriant tamquam ex fonte praecipuo adeoque necessario spiritum genuinum et vere Christianum (2). Insimul vero Sacrificium eucharisticum est anima et centrum omnis asceseos vere Christianae, unde fideles hauriunt et gratiam necessariam ad peragenda exercitia ascetica et exemplar. Unde Sacrificium Missae et Sacramentum eucharisticum, sicut ipsiim altare et tabernaculum continua fiunt praedicatio sacrificii, sui oblationis et mortificationis et ipsa Liturgia Sacra non tantum aliquoties nos docet orare, ut ipsa sacra Communio nos transire faciat in « consortium mysterii» (3), i. e. ut magis in dies in vita Christianorum appareat illud « mori et vivere cum Christo », de quo loquitur S. Paulus (4), sed etiam Episcopus in ordinatione sacerdotali presbytorandos expressis verbis admonet, ut agnoscant quod agunt, scilicet in celebratione Mi.sae, et imitentur quod tractant (5).

Ubicumque ergo diminuitur amor, intellectio et aestimatio Liturgiae sacrae et speciatim Sacrificii Missae, ibi diminuitur etiam pari modo sensus pro sacrificio in vita quotidiana praebendo, et per hoc ipse spirit us religionis periclitatur. Et iterum eo quod Pius P. X populum fidelem ad maiorem participationem, comprehensionem amoremque Liturgiae sacrae revocavit, ipsum etiam ad verum spiritum religionis et Christianum eiusque fontem indispensabilem revocavit. Unde Pius XI in Constitutione Apostolica « Divini cultus » (20-12-1928) affirmare potuit in omni loco, ubi verba Pii P. X in praxim versa essent, percipi posse sensibile augmentum spiritus religionis in plebe et clero (6).

Hinc ergo omnia sacrificia et mortificationes Christianorum eorumque alia opera bona, quae sunt illud « mori et resurgere cum Christo» seu vivere cum ipso, ut Deo grata sint, per Christum et cum Christo in altari unius et solius eiusdemque semper Sacrificii Missae offerri debent et offeruntur (7).

(1) Secreta in festo S. Ignatii Loyol. Confessoris (31 Juli).

(2) Pros X, Motu proprio « Inter pastoralis officii · d. 22.11.1903; Pros XI, Constitutio Apostolica « Divini cultus sanctitatem » d. 20.12.1928.

(3) Cfr. Postcomm. Quatuor Temp. Adventus; Postcommunio Dom. I Quadrages.

(4) Rom 6, 4-6.

(i) Pontificale Romanum, In ordinatione presbyteri, admonitio; « Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis ».

(6) Utinam fideles omnes, clerus et laici, in dies magis Intellegerent finem principalem S. Eucharist iae non esse, ut Christus praesens flat in specie consecrata ad adorandum tantum, sed, ut medianto Sacrificio Missae et Sacramento eucharistico, quotidie in unoquoque membro corporis Christi mystici, mysterium mortis et vitae eiusdem Dei ao Domini nostri Jesu Christi realizetur et in effectum ducatur!

(7) Cfr. Orationem post Offertorium Missae: <In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium in conspectu tuo ut placeat tibi Domine Deus ».

Tota vita Christiana moralis et ascetica ad brevissimam formulam redacta est « gratia Dei mecum », i. e. requiritur gratia, quae efficaciter provocat nostram cooperationem; non sola gratia requiritur, vel divina tantum operatio (Quietisrnus), neque sola hominis operatio (Pelagiauismus), sed utrumque, et gratia divina et hominis cooperatio, ita tamen, ut in omnibus gratiae divinae tribuatur principatus, sine qua « nihil est validum, nihil sanctum », sine qua « nihil potest humana infirmitas » (1).

Hoc idem nos docet divini cultus celebratio. Liturgia primarie multiplici ex capite praestat gratiam: ex confectione et distributione Sacramentorum et Sacramentalium, ex celebratione Officii Divini et anni liturgici, praesertim ex Missa.

I _ Liturgia in omnibus haec signanter prae oculis habet, ne Christiani nimis confidant propriis suis viribus, sed potius omnia a gratia divina exspectent. Unde vitam ascetico-moralem virtutum non considerat primo et principaliter ut resultatum, proveniens ex propriis propositis et voluntatum decisionibus, ex diligenti custodia et revisione suiipsius, vel ex minutissima analyst omnium animae actionum et motionum-minime enim sibi quisque notus est et difficillime de se recte iudicat, etiam adhibita omni cura et custodia—sed potius talem tatam religiosam ut donum Dei considerat, et ut fructum Spiritus Sancti, qui habitat in cordibus fidelium. Pietatem ergo humanam non tantopere a parte hominum aestimat, quantopere a parte Dei. Unde simpliciter de Dei adiutorio orat; « Deus, de cuius munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue quaesumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine olTensione curramus. Per D. N. » (2).

Cultus liturgicus simul vero efficaciter provocat etiam nostram cooperationem. Ipse enim est exercitium praecipuarum virtutum; insuper omnium virtutum inculcat regulam et exemplar proponit; sed et ad omne bonum movet voluntatem, ut infra exemplis demonstrabitur.

Summum autem et ultimum in genere sacrificii humani sunt vota, per quae homo totam suam personam totamque suam vitam asceticam unit cum Sacrificio altaris et vita liturgica. Ratione votorum enim vita Ascetarum non tantum fit continua sui mortificatio, sed Icontinua adoratio et glorificatio SS. Trinitatis, continua quoque deLdicatio suiipsius, praeludium aeternitatis.

I (1) Dominica 3 et 1 post Pentecosten, Oratio.

I. (2) Oratio Dominicae XII post Pentecosten; cfr. Orationem Dom. I p. Pent, et quae illota sunt de modo, quo Liturgia ostendit necessitatem recurrendi semper denuo ad gratiam, npud: Ph. Oppenheim, Tractatus de iure liturgico II: De lege scripta et non scripta (Taurini-Romae 1939) p. 94-96.

Media ad exercendam veram ascesim sunt diversa. Admirationi potest esse forma asceseos veterum Eremitarum in deserto Aegypti proprer castigationes corporis, quas passi sunt; alia· forma asceseos porro est S. Benedicti, quam admirari debemus propter discretionem et tenuem disciplinam vitae communis, quam dedit, vel forma S. Franciser propter exemplar ideale absolutae paupertatis quod secutus est; admirationi sunt etiam Mystici medii aevi vel recentes cum toto interiore ardore caritatis et sublimi contemplatione; aliud systema asceticum praebet s. Ignatius Loyolensis qui praesertim virtutes voluntatis colit, aliud S. Franciscus Salesius, qui magis fovet libertati spiritus, aliud S. Vincentius, qui institutis et legibus temperavit activam caritatem praesertim erga orplianos et infirmos, vel S. Joannes Bosco, Joannes Baptista de la Salle, aliique qui de educanda iuventute Christiana optime meriti sunt; aliud iterum est systema S. Alphonsi Mariae de Liguori, qui in suo systemate timorem in amore Dei praefert.

Liturgia sacra nullum horum systematum a limine excludit, omnium vero illarum essentiam habet: illud continet et proponit, quod omnibus commune et necessarium esse potest et debet (1). De caetero vero unicuique relinquit libertatem, supra mensuram ab omnibus postulatam omnibusque necessariam, aliquid ex propria vel ex alterius voluntate addendi: in orationibus, in vigiliis, in ieiunio et abstinentia, in caritate, in bonis operibus, in sacris lectionibus, in silentio etc.

Immo Liturgia sacra ipsa systema quoddam asceseos est illudque continet, quod systema *maiore gaudet auctoritate,* quia non ab aliqua persona singulari quamvis maxime sancta, imponitur, aut ab aliqua tantum societate religiosa, sed ab ipsa Ecclesia, eiusque suprema auctoritate; insuper non pro hoc vel illo coetu tantum fidelium proponitur, sed pro omnibus fidelibus; eminet ergo *universalitate;* praeterea maiore gaudet *securitate,* cum ab Ecclesia proponatur, cuius est, ut homines infallibiliter et ex officio de via et de mediis instruat ad consequendam vitam aeternam. Hinc erraret, qui putaret celebrationem Liturgiae esse tantum ineundam aliquam interruptionem inter alia exercitia spiritualia; neque est materia tantum eruditionis in scholis addiscendis, non «gratiosus aliquis flos pietatis», ornamentum tantum, vel vestimentum pietatis aut «motus» aestheticus, ut contendunt alii; neque, res principalis sunt caeremoniae exteriores, vel etiam sacri ritus ei oratio in se sola sumpta, neque cantus gregorianus vel aliud simile quid, mere externe consideratum tamquam aliquid pulchrum vel aestheticum — qui hoc putant, quod externe tantum apparet, es-

(1) Cfr. quae diota sunt de officiis v. g. in *Commune Sanctorum* pro vita Christiana apud Pn. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurinl-Komao 1941) p. 276-289.

sentiale esse existimant et errant — omnia haec utique pertinent ad Liturgiam tamquam ad cultum publicum Ecclesiae; praeter haec vero, et iu his omnibus Liturgia sacra via ordinaria est, quamvis saepe neglecta, omnis verae vitae Christianae et perfectae. Liturgia et ascesis sibi invicem sunt adiumentum et complementum: sine ascesi non celebratur vera Liturgia, sine Liturgia non fit vera ascesis: unum postulat alterum, unum complet alterum. Quaestio ergo non poterit esse, utrum ascesis sit melior an Liturgia, utrum sibi opponantur Liturgia et ascesis, sed potius, quomodo Liturgia ut didascalia Ecclesiae instruat de vera ascesi et quae adiumenta afferat, ut in praxim vertatur.

TITULUS II.

Liturgia est schola vitae Christianae et perfectae et efformat christianum in spiritu vere Christiano

Caput I.

Liturgia sacra est schola vitae christianae et perfectae

1) In textibus et actibus suis Liturgia theoretice et practice docet et inculcat praecepta et regulas integrae vitae christianae et perfectae non minus expresse quam veritates speculativas;

2) excitat mentes fidelium ad rerum altissim^rum contemplationem, ut ita eos ducat etiam ad vitam contemplativam;

3) in Christo et in Sanetis vivum proponit exemplar, ut ita moveat voluntatem ad exercitium virtutum omniumque bonorum operum;

4) inducit denique ad praeficam exercitationem virtutum, et format Christianum in spiritu vere christiano.

§ 1. - *Liturgia docet et inculcat praecepta et regulas vitae christianae et perfectae.*

Sicut veritates fidei speculativas, sicut capita doctrinae catholicae, ita Liturgia docet et inculcat praecepta et regulas integrae vitae christianae et perfectae.

Hoc iam a limine patet. Nam

a) ex notione Liturgiae constat Liturgiam, cum sit ipse cultus publicus et socialis Ecclesiae qua Ecclesiae, non est nisi practicum exercitium virtutis religionis aliarumque virtutum cum ea cohaerentium ac proinde schola vitae christianae.

Id insuper eruitur

b) ex fine Liturgiae. Per cultum suum Ecclesia enim totum hominem cum omnibus suis viribus, facultatibus, relationibus ad Deum

ducere ipsique coniungere studet. Hoc vero spectat praeprimis vitam Christianorum moralem et perfectam. Praeterea

c) *ex ratione* deducitur: Liturgia Sacra exprimit, docet inculcat fidem et doctrinam Ecclesiae. Ecclesia enim doctrinam suam dogmaticam et moralem a Christo Domino acceptam decursu saeculorum magis magisque evolvit et tamquam normam et regulam omnibus vitam Christianam degere volentibus praescripsit. Unde fleri non potest, ut earn in abscondito reclusam habeat vel ut eam tamquam doctrinam secretam proponat, ad quam paucis tantum pateat aditus, cuius sensus insuper solum post laboriosum studium aliquibus paucis viris doctis tantum aperiatur, sed doctrina ecclesiastica, vel potius divina, omnibus aequaliter accessibilis esse debet, facile porro intelligibilis, saltem quoad quaestiones principaliores, et insuper saepius repetita, ut ex iterata repetitione profundius intelligatur, firmius in memoria teneatur, plenius atque perfectius in vita exerceatur. Hunc suum finem Ecclesia obtinet non ultimo per cultum divinum; in quo compendium completum, imo encyelopaediam doctrinae catholicae tam dogmaticae quam moralis et asceticae deposuit, et quotidie clero et fidelibus proponit profitendam et exercendam.

Luce vero clarius est hoc non esse, ut fideles theorice tantum cognoscant atque intelligant fidem et doctrinam Ecclesiae, quam matrem suam vocant, sed ut eandem in praxim vertant seu ut data praecepta et. admonitiones practice in vita sua Christiana exprimant. Hinc facile intelligitur scopus admonitionum in lectionibus v. g. in Epistolis et Evangeliis, in Capitulis, in Lectionibus Officii, et in aliis textibus.

Ecclesiae est ut instruat fideles de vero modo Deum colendi seseque sanctificandi et viam securam et certam qua ad patriam coelestem perveniant demonstrandi. Ideo

d) *ex historia et praxi quotidiana* hoc habetur: antiquitus et per omnia Christianorum saecula id quod in celebratione cultus divini legebatur vel praedicabatur et ibidem audiebatur et addiscebatur, instructio principalior fidelium et catechumenorum erat de rebus fidei et morum, seu de vita vere Christiana, immo etiam perfecta. Et etiam nostro aevo in multis locis celebratio liturgica unica occasio erit catecheseos christianae.

Antiquitus tum Catechumeni tura Fideles instructionem moralem et asceticam obtinent praesertim in cultu divino.

1) Psalmi et Lectiones ex Vetere vel ex Novo Testamento desumptae sunt instructiones ipsius Domini vel Apostolorum; accedunt lectiones et homiliae ex SS. Patribus desumptae, quae omnia in cultu divino proponuntur et quotidie et continuo instruunt de vita morali et ascetica. Praecepta et regulae quas dant, non respiciunt paucos tantum

homines electos, v. g. religiosos vel clerum, sed omnes Christianos. Doctrina enim moralis Veteris et Novi Testamenti est, i. e. ipsius Dei et Christi, quae aequaliter omnes Christianos de via salutis instruere vult et valet.

2) *Veritates speculativae* quae in lectionibus vel aliis textibus Liturgiae sacrae evolvuntur, a Ss. Patribus similiter proponuntur ut motivum vitae practicae.

S. Leo Magnus v. *g.* loquens de mysterio Incarnationis admonet: « Agnosce. Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cuius capitis et cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus depotestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum » (1).

Tempore Paschali admonemur: « Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite!» *(2),* tempore Ascensionis, ut, «ipsi quoque mente in coelestibus habitemus » (3) vel ut interim corde Dominum sequamur in coelum (4) etc.

3) Regulae vitae Christianae dantur etiam per modum, quo Ecclesia componit Liturgiae Orationes. Unaquaeque enim Oratio liturgica non minus est affirmatio alicuius mysterii fidei quam instructio de vita practica Christiana et codex urbanitatis (5). Ipsa'enim instruit quid et quomodo debeamus petere: unaquaeque Oratio incipit cum allocutione urbana et polita ad Deum, ei gratias agit de eius beneficiis iam praestitis, nova petit et semper fere vitam practicam moralem eiusque necessitates respicit: omnia vero commendat « per Christum Dominum nostrum », et sic practice instruit de modo orandi. Haud raro nonnas proponit ad gerendam vitam vere Christianam, id quod statim patet omni Orationes Missalis vel Breviarii attente legenti. Est enim aliquod charaeteristicum Liturgiae Romanae, ut etiam in summis festis semper aliquid practicum, vitam practicam spectans petat.

4) Similiter denique *per modum, quo colit et celebrat virtutes Christi et Sanctorum,* Liturgia moralem dat instructionem de vita Christiana.

(1) Cfr. lectiones II Noct, in festo Nativitatis D. N. (Breviarium Monast.): Sermo I de Nativitate Domini, lectio VIII.

(2) Coi 3, 1; Epistola Sabbato Sancto; lectio brevis ad Primam tempore Paschali.

(3) Oratio in festo Ascensionis.

(4) Gregorius Magnuis, Hoinilla 29, 10-11 in Evang. S. Marci (Hom. in festo Ascensionis Domini, Brev. Parisienso Parisiis 1715).

(5) Cfr. I. Herwegen, Vom christlichen Seinund Leben (Berlin 1931); Chr. Paxfoeder. Das Ueberpersônliche in der Liturgie (Mainz 1927); Id, Das Organische in der Liturgie (Mainz 1929); Pu. Oppenheim, Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) p. 212 ss.

Liturgiam esse veram scholam vitae Christianae et perfectae probari potest etiam

e) ex auctoritate Summarum Pontificum et innumerorum illustrium ac praeclarorum auctorum et virorum ecclesiasticorum, ut infra demonstrabitur, et praecipue

/) ex auctoritate ipsius Sacrae Liturgiae. In ipsis textibus liturgicis dicitur enim Liturgiam esse « fontem omnis sanctitatis» (1); ex ea ergo omnia media sanctitatis hauriri possunt. Praeterea dicitur Liturgiam esse directricem vitae moralis Christianorum: quapropter iteratio Legis Veteris in cultu etiam norma pro nostra directione fieri debet (2).

§ 2. - *Liturgia proponit exemplar vitae Christianae et perfectae.*

Per Liturgiam sacram et in ea non solum dantur praecepta et regulae theoreticae vitae Christianae, verum proponitur etiam vivum *exemplar* virtutis et vitae perfectae, illud scilicet Christi et Sanctorum.

Cum infinita Dei sanctitas sit motivum potius nostrae perfectionis moralis quam exemplar, quod imitando nonnisi analogice et valde deficienter in nobis reproducer© valemus, Deus dignatus est nobis constituere Christum hominem perfectionis exemplar omni numero absolutum.

Liturgia in cyclo anni ecclesiastici quotannis praecipua mysteria et facta vitae Redemptoris nostri recolit, non tantum, ut ea cognoscamus, sed ut ea miremur, gustemus, laudamus, ut « hoc sentiamus in nobis, quod et in Christo Jesu » (3) et « per eum quem similem foris agnovimus, intus reformari mereamur » (4).

Non vero frigida aliqua photographia Christi et Sanctorum nobis exhibetur, sed imago viva Christi patientis, dolentis, agentis, amantis, et Sanctorum, ut supra ostensum est; Liturgia nos facit sapere, quae docet; facta non mere historice narrantur, sed cum lyrico affectu, et interdum dramatice proponuntur, sicut in lectionibus de Passione Domini hebdomade sancta, vel sicut in Sequentia « Stabat Mater » in Improperiis Parasceve, in multis hymnis et antiphonis Sanctorum. Interdum Liturgia sacra praesentes nos sistit ad ea quae narrantur, vel celebrantur; et praesertim ostendit, omnia facta esse « pro

(1) Secreta in festo S. Ignatii Loyol. (31 Iulii).

(2) Cfr. Orationes VII et XI post prophetias Sabbati Sancti et post prophetiam III in vigilia Pentecostes: Sacraiuentarium Gelasianum (ed. Wiubon, p. 83 n. (J).

(3) Philipp 2, 5.

(4) Oratio in octava Epiphaniae.

nobis » et « propter nostram salutem »: unde facilius et/profundius ad laudem, amorem et imitationem Christi et Sanctorum ihovemur (1).

Ne vero ipsa huius in Christo perfectionis altitudo nostram ignaviam deterreat, exhibentui· etiam, fragilitati nostrae· magis accomodata, exempla Sanctorum, qui eum S. Paulo suaviter invitant: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (2). Ceterum in Sanctis videmus virtutum adminicula, obstacula removenda, adaptionein adiunctis diversis nec non et altissima praemia. Cum vero « religionis summa sit, imitari quem colis » (3), ideo per exempla Christi et Sanctorum efficaciter movetur voluntas nostra ad ampleetandam vitam Christianam, imo et perfectam, ita ut Liturgia merito habeatur tamquam *optima educatrix populi Christiani.* In Motu Proprio «Inter pastoralis officii» de die 22 Novembris 1903 Pius X scripsit: Liturgiae «finem generalem esse gloriam Dei, sanctificationem et aedificationem Fidelium », omnique labore nitendum esse, ut Fideles reducerentur « ad primum ac necessarium spiritus Christiani fontem, ut inde hauriant *verum spiritum Christianum,* active participando sacrosanctis mysteriis et publicae solemnique Ecclesiae orationi ».

§ 3. - *Liturgia excitat mentem ad rerum altissimarum contemplationem.*

Liturgia sacra porro excitat mentem Fidelium ad rerum altissimarum contemplationem. Pro tali contemplatione fundamentum ponit hoc modo: meditationi magnam praebet copiam textuum, qui ex Sacra Scriptura vel ex tractatibus SS. Patrum desumpti sunt.

Praeterea hanc materiam per totum annum liturgicum diversimode proponit eamque variat, secundum rerum adiuncta; tamen in unoquoque anno semel saltem redit eadem materia, ut ita repetita meditatione eiusdem obiecti profundior rei sensus acquiratur.

Talis meditatio innititur orthodoxiae; eius enim piateria ab ipso magisterio Ecclesiae proponitur, cui concreditum est depositum fidei et cuius est, ut homines doceat viam veritatis. Ideo gaudet maiore auctoritate et securitate.

Insuper via ordinaria est omnibus eodem modo proposita ideoque securior et gratior; nam ex ipsa compositione anni liturgici poscitur, quae ab Ecclesia, influente et inspirante Spiritu Sancto, et sub in-

ii) CAU.BWAERT, I p. 47-50; ctr. quae in hoc volumine dicuntur in capite: « De methodo et charactere instructionis Hturgicae ·.

(2) I Cor 4, 16; II. 1.

(3) Augustinus, De civitate Dei 8, 17j

fluxu Christi, Ecclesiam suam tuentis, tacta est, omnesque animae facultates ad cooperationem excitat; fideles vero debitis dispositionibus celebrationi liturgicae festi associantur, ac proinde facilius et securius gratiam huic festo vel mysterio congruam intelligunt et obtinere possunt.

Finis enim omnis meditationis est, excitare in anima affectus religiosos et valida ac bona proposita.

Praeterea talis methodus meditationis ex una parte pleniori cognitioni ideoque amori fovet Liturgiae sacrae et sic optimum remedium praestat praecoci recitationi textuum et puro formalisme»; ex altera parte vero servatur grave momentum actionis liturgicae: attentio admnistrantis vel accipientis figitur.

Liturgia nos meditari facit divina mysteria cum interiore affectu. Ipsa meditatio vel contemplatio divinorum mysteriorum Christi et Sanctorum ad quam Liturgia adducit, eo fine fit, ut vita teneatur et quod est imitabile, imitatione exprimatur. Unumquodque mysterium Evangelii, omne quod de Christo narratur, in cyclo anni liturgici certo quodam modo reviviscit (I). Si ex omni parte meditatum est, in praxim vitae verti debet. «Quod recordatione recurrimus, annua solemnitate peregimus, opere teneamus — vita fateamur — moribus et vita teneamus »: ita saepius admonet oratio liturgica.

Unde v. g. « fidem quam lingua nostra loquitur etiam moribus vita fateatur » (2) vel « paschalia festa... te largiente moribus et vita teneamus » (3), « paschalis perceptio sacramenti continua in nostris mentibus perseveret » (4). Ita locutiones saepe in Orationibus Missalls, in homiliis SS. Patrum etc. occurrunt.

Et sic ex ipsis Lectionibus et Orationibus liturgicis necessaria quaedam necessitudo fidem inter et vitam postulatur.

Pietas liturgica ergo nullo modo est contemplatio sterilis vel sentimentalis, absque practice effectu, absque valore ascetico, sine fructibus interioris renovationis, sicut plures inter auctores recentiores contendunt. Sed plus omni alia methodo incitamentum est ad virilem fortitudinem et virtutem, ad degendam vitam semper meliorem.

(1) Cfr. S. Augustinus, Sermo 220 in vigilia Paschae: « Quod semel factum in rebus veritas indicat, hoc saepius celebrandum in cordibus piis *solemnitas renovat* ». Joannes A S. Thoma, De sacramentis, disp. 24 a. 1 dub. 9: « Passio et mors et resurrectio Christi, licet iam transierint in actu et in ratione motus aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in humanitate quae affecta fuit passione, morte, et resurrectione. Et quia haec humanitas sic affecta modo in aeternum manet, ideo modo et in aeternum consummare potest sanctiflcatos virtute sua effectiva. »

(2) SS. Innocentium (28. XII) Oratio.

(3) Doni, in albis Oratio.

(4) Poste, feriae III Paschae.

In his enim «ineffabilibus gemitibus Spiritus Sancti/n nobis» conversiones praeparantur et resolutiones, vel potius dicendum: labores et contentiones, quae sanctitatem aspirant.

Praesertim vero Liturgia sacra ostendit, omnia mysteria vitae Christi *pro nobis* acta esse (1), immo quod semel historice factum est, mystice in nobis renovari (2), ut sic efficacias atque facilius ad vitam religiosam excitemur et arctius cum Christo eiusquc opere coniungamur.

Talis intima ad Christum relatio enim excitat spem et fiduciam orantium: ideo in Adventu toties repetuntur Orationes iaculatoriae: «Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et Salutare tuum nobis », « Veni, Domine, noli tardare, relaxa facinora plebis tuae ». Et quasi iam responsum accipitur: « Ecce, Dominus veniet - Noli timere: cito veniet salus tua - Crastina die » (ita in vigilia Nativitatis) « delebitur iniquitas terrae ». Tempore Nativitatis oramus in Officio: «Christus natus est nobis: venite adoremus» et in Missa: «Puer natus est nobis et Filius datus est nobis...» «ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur » (3).

In Epiphania D. N. « Christus apparuit nobis »,. unde invitamur « venite adoremus! » Tempore Paschali oratur: « Mane nobiscum Domine quoniam advesperascit », tempore Ascensionis «O Rex gloriae... ne derelinquas nos orphanos; sed mitte in nos Spiritum veritatis ». Tempore Pentecostis et in omnibus Missis et Officiis votivis de Spiritu Sancto Spiritum invocamus: « Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende » etc.

Omnia haec orationem nostram omnino individualem reddunt nosque expectare faciunt, ut revera consequamur specialem fructum, quem Christus speciatim hoc vel illo mysterio nobis promereri voluit, quemque Liturgia tam orando quam mysterium meditationi ac venerationi nostrae proponendo nobis procurare intendit. Liturgia sacra ergo nos non spectatores et auditores tantum facit divinormn My-

(1) Unde in Symbolo Nicaeno dicitur in Missa: « (Jesus Christus) per quem omnia facta sunt; qui *propter nos homines et propter nostram salutem* descendit de caelis et incarnatus est... et homo factus est; crucifixus etiam *pro nobis* sub Pontio Pilato, passus et sepultus est ·; ante Consecrationem in Missa oramus « ut *nobis* flat corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi»; Introitus ad III. Missam Nativitatis habet: « Puer natus est *nobis,* et filius datus est *nobis* » etc. Ideo etiam in Litaniis Sanctorum Ecclesia orat: « Per adventum tuum libera *nos* Domine; Per nativitatem tuam.. Per baptismum et sanctum iciunium tuum libera nos Domine ».

(2) Unde v. g. in Oratione Dominicae II Adventus Liturgia nos docet oraro: « Excita Domine, corda *nostra* ad praeparandas Unigeniti Tui vias; ut per Eius adventum, purificatis Tibi mentibus servire mereamur », vel in vigilia Nativitatis: « Deus, qui *nos* redemptionis *nostrae* annua expectatione laetificas: praesta, ut Unigenitum Tuum, quem redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque indicem securi videamus Dominum nostrum Jesum Christum qui tecum vivit et regnat ». Similiter in aliis permultis Orationibus Missalls Romani oratur.

(3) Praefatio Nativitatis.

steriorum, «ed proprie et personaliter nos illis unit et coniungit, efficaciter nos provocando ad actualem participationem.

Ideo etiam iuxta intentionem Ecclesiae, propter textus liturgicos in Adventu propositos, contendere debemus, ut per poenitentiam et orationem purificentur et « excitentur corda nostra ad praeparandas Unigeniti Dei vias», (1) qui spiritualiter ad animas nostras veniet; in Nativitate Domini oramus, « ut adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus» (2). iu Paschate, ut « qui consurreximus eum Christo, quae sursum sunt quaeramus » et « epulemur in azymis sinceritatis et veritatis », in Ascensione, ut « ipsi quoque mente in caelestibus habitemus », etc. (3).

Ita praecipua mysteria et facta vitae Redemptoris nostri in cyclo anni liturgici quotannis recolimus, non ut nude ea cognoscamus, sed ut ea miremur, gustemus, laudemus, ut, « hoc sentiamus in nobis, quod et in Christo Jesu » (4), ut tamquam membra verius et arctius Capiti nostro coniungamur, et notatim per imitationem virtutum, in dies magis « formetur Christus in nobis » (5), et « per eum quem similem foris agnoscimus, intus reformari mereamur » (6).

A multis hodie quaeruntur *profundae ideae,* quae alliciant, portent, elevent, confortent, adimpleant etiam hominem nostri aevi, a tot negotiis saepe distractum. Praeter Sacram Scripturam nullibi verius et facilius inveniri possunt quam in textibus liturgicis, ubi novis semper et allicientibus locutionibus exponuntur: hominis creatio et recreatio, redemptio et beatificatio, dignitas naturae humanae hominumque finis, Deus deinde in inexhausibili sua plenitudine et profunditate, realitate et caritate, mysterium peccati et mysterium gratiae, ultimum indicium, divina providentia, historia sacra aliaque plurima, et haec omnia teneri quadam arte psychologica quae allicit et delectat, cum illa profunda virtute et 'ncomparabili simplicitate quae est characteristicum Scripturae Sacrae.

Materia de qua in Liturgia agitur praeprimis est finis et consummatio omnium Sacramentorum, (7) summarium mysteriorum Incarnationis et Redemptionis, (8) synthesis doctrinae Christianae (9) tam dogmaticae quam mo-

di Oratio Dom II, Adventus

(2) Lectio VI. Mat. (Brev. Mon.).

<3) Cfr. etiam: Oratio feriae IV QT. Adv.; Columba Mahmion, Le Christ dans ses Mystères (Maredsous 1922).

(4) Phil 2, δ.

(5) Gal 4, 19.

(6) Oratio in Octava Epiphaniae; cfr. Orationem in Solemnitate SS. Rosarii..... concede, quaesumus, ut, hacc mysteria sacratissimo beatae Mariae Virginie Rosario recolentes, et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per D. N. ».

(7) F. Cabrol, Les Origines liturgiques (Paris 1996) 110.

(8) S. Thomas, S. th. 3, 63, 3 in corp.; Dionysius Areopagita, De Eccl. hierarchia 3. 1.

(9) F. Cabrol, l. c.; Callewaert I. 9.

rali? et asceticae, a quolibet assequendae, synthesis etiam gratiarum et virium omnium, quae vitam Christianam portant atque coronant. In qua materia tam ampla et sublimi primo et principaliter celebrantur A. Dei magnalia erga homines. Ad quae pertinent:

1) totum opus *creationis* et *gubernationis* seu providentiae divina··, complures Psalmi et lectiones tam in Officio divino quam in Missa, Antiphona·· et Responsoria non solum per annum, sed unaquaque hebdomade, immo quo tidie loquuntur de creatione mundi, rerum, hominum, de Dei dominio et gu bernatione, de divina providentia, et"quidem tali modo et instantia, ut honio facere non possit, quin consequentias ex his textibus pro vita sua practic i exsequatur, Deumque laudet, adoret, agnoscat.

2) Proponitur deinde totum *opus redemptionis,* (1)a primo instanti vitae Christi in terris usque ad consummationem mundi, praesertim Sacri ficium cruentum in cruce, quod celebrant textus imprimis temporis Passioni-, hymni et laudes s. Crucis, et Sacrificium incruentum in Missa et totum opus sacramentale, iu quo opus redemptionis praesertim continuatur et perficitur. Totum hoc opus manifestat abyssum misericordiae divinae: « propter nimiam caritatem qua dilexit nos Deus, misit Pilium suum in similitudinem carnis pe· cati, ut eos qui sub lege erant, redimeret, et nos adoptionem filiorum recipe remus » (2). Immo characteristicum est Liturgiae, tot repetitis vicibus, cel< brari Redemptorem et Salvatorem nostrum eiusque opus.

3) Celebratur porro *opus regenerationis* vel recreationis nostrae per mysteria anni ecclesiastici; per omnes textus s. Quadragesimae fit praepa ratio catechumenorum ad s. Baptismum, i. e. ad regenerationem; qui textu- pro omnibus christifidelibus simul sunt spiritualia illa exercitia, quae propo nit et nos exercere iubet ipsa s. Ecclesia, eo scopo, ut omnes spiritu renova li et quasi regenerati s. Pascha celebrare possint. Ad hoc opus recreationis vel regenerationis spectat deinde tota liturgia baptismalis Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes et octavis subsequentibus, nostraque renovatio in gratia baptismali respectives textibus, praesertim tempore paschali.

4) *Opus sanctificationis nostrae* perficitur per infusiouem Spiritus Sanci i (Pentecostes), per s. Eucharistiam, (festum Corporis Christi), per sui de dicationem (Dedicatio Ecclesiae) et non ultimo per participationem totiu cultus.

5) *Vltimum iudicium* cum parusia Domini in textibus Officii Defun ctorum necnon in Evangelio et Homilia ultimae Dominicae post Pentecosten tamquam aliquid terribile, timendum proponitur - sed hoc potius pro male factoribus -, in textibus vero temporis Adventus et Nativitatis Domini ex spectatur et desideratur, non aliter deinde a Dominica XVIII post Pentecosten, et in festis permultorum Sanctorum, praesertim si Officium est e Commun Sanctorum. Revelabitur enim non tantum maiestas Domini, sed etiam per

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romao 1911) p. 238-217.

(2) Cfr. Rom 8, 3; Eph 2, 4; Joh 3, 16; Rom 5, 8; 1 Joh 3, 16; 1, 9 sq, eto.

feetio hominum, et verificabitur quod dicitur in Praefatione Defunctorum: « Tuis enim Fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur, et dissoluta huius terrestris incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur »; illud « mysterium » tunc revelabitur, de quo S. Paulus scribit ad Corinthios. « Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae ».

Idea de *Parusia Domini,* quae saepissime in textibus liturgicis per annum invenitur, praesertim tempore Adventus, quo exspectatur et post Pentecosten, quo celebratur perfectio regni Christi inter Christianos, decursu anni liturgici clarior semper et apert ior fit, usquedum ultima Dominica post Pentecosten cum narratione parusiae Domini ad indicium et in festo Nativitatis et Epiphaniae cum universali agnitione regiae dignitatis Christi finitur. Characteristicum quoque festorum est eorum Sanctorum, qui non habent proprium formulate Officii et Missae. Mortem enim Sancti celebramus, tamquam eius natalitia ad caelum, in qua illi parusia Domini iam anticipata apparet·. Ideo in Antiphonis v. g. et praesertim in Evangelis Sanctorum saepe alluditur ad hanc Domini parus'am.

Certo magni momenti est in omnibus fere Officiis et Missis Sanctorum aliquo semper modo variisque coloribus redire *ideam parusiae* Domini, quae expectatur vel in memoriam revocatur: in Officio Apostolorum sermo est de « regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae », in quo iudicio et ipsi Apostoli sedebunt « super sedes iudicantes duodecim tribus Israel »; in Officio Ss. Martyrum Christus promittit: « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est »; de cetero iterum iterumque sermo est. de corona, qua coronavit Dominus Sanctos suos; in Officio Ss. Confessorum praedicatur « beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum»; Abbatibus promittitur: «Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me... centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis»; in Officio Ss. Virginum ostenduntur quinque prudentes virgines, quae exeunt « obviam Christo Domino » et cum Sponso introëunt ad nuptias, etc. (1). Patet

(1) Cfr. I. Herwegen, Vom christlichen Soin und Lebon (Berlin 1932); S. Stricker, Das Kirchcujahr (Dio betende Klrcte, ed. Abtei Maria Laach) Berlin 1921). Sic in Evangeito pru Martyre Pontifice II leguntur verba: » Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; et time reddet unicuique secundum opera cius ▮ (Mattii 16, 27); In Communi plurimorum Martyrum II tam Iu Oflloio quam in Missa occurunt verba: «Beati eritis... gaudeto in illa die et exsultate: ecce enim merces vestra multa est in caelis · (Luo 6, 23). vel legitur Evangelium do novissimis in terra in ultimo dio (Luo 21,9-19); in Communi Confessoris Pontificis auditur inter alia: « Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem: Arnen dico vobis, super omnia bona eua constituet eum ▮ (Pro Confessore Pontii, II Communio; cfr. Evangelium [Matth 24, 42-471; ofr. otlam pro Confessore non Pontifice I, Communio) vol: « Estote parati, quia qua nescitis hora, Filius hominis veniet › (Pro Confessore Pontifice II Evangelium). Etiam Evangelium de talentis concreditis, de quibus postulatur redditio

vero omnes tales textus alludere ad parusiam Domini. Hoc vero/mirum non est: Christianus enim est homo, qui conformem se reddit Christo quem exspectat: per ipsum enim perficitur et in aeterna gloria constituitur. Iure ergo merito per totam vitam terrestrem desiderio desiderat et semper in memoriam sibi revocat, quod « exspectamus Salvatorem nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae» (1).

Iam ex paucis exemplis allatis patet, ideam parusiae Officiis Sanctorum omnino familiarem esse, sicut familiaris est etiam reliquis festis vel feriis anni liturgici. Hinc scopus anni liturgici iure iu eo ostenditur, ut nos maiore semper modo faciat « exire obviam Christo Domino », « ut sint parati occurrere illi ».

Praeter Magnalia Dei in textibus proponitur etiam *dignitas humanas substantiae,* quam « Deus mirabiliter condidit et mirabilius reformavit » (2). Unde non tantum corporibus viventium attribuuntur honores, sicut incensatio, unctio, salutatio, etc., sed etiam defunctorum exuviae omni honore et reverentia circumdantur. Dignitas humana vero praedicatur praesertim eo, quod Christiani filii Dei et vocantur et sunt, membra Christi, tabernaculum Spiritus Sancti, « cives Sanctorum et domestici Dei », « heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ».

6) Quod attinet *historiam sacram,* ostenditur non tantum in Psalmis aliisque lectionibus e vetere Testamento desumptis historia populi Israel tamquam pignus et typus gubernationis et providentiae divinae in Novo Foedere; insuper in lectionibus Officii et Missae proponitur non tantum historia sacra vitae Christi historici, et Apostolorum, sed etiam multa facta ex historia Ecclesiae describuntur vel insinuantur, v. g. per lectiones Martyrologii tempus persecutionum, per lectiones e Sanctis Patribus desumptas magna ipsorum certamina fidei; in festis haud raro legitur aut historica eiusdem ratio, sicut in festo SS. Rosarii, dedicationis Basilicarum Patriarchalium S. Petri, S. Pauli, SS. Salvatoris, S. Mariae Maioris etc., aut aliud factum ex historia Ecclesiae, aut descriptio vitae illius Sancti, cuius festum colitur.

Accedit aliud: meditatio textuum liturgieorum vere ad contemplationem seu supremam formam meditationis elevare potest. Ubique enim adnectendo ad naturam et naturalia, in pereuntibus videt ma-

rationis, ad confirmandam ideam de parusia servit (Matth 25, 14-23; cfr. Evang. pro Confess. Pontlf. I). In festo Confessoris non Pontificis eadem idea ilis verbis redit: · Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatus a nuptiis · (Antiph. ad III Noct. Matut.). Versus ad Communionem in Missa eiusdem Oflleii sic sonat: « Arnen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis ▮ (Matth 19, 28-29; cfr. Evang. in Missis Abbatum); in Missis Abbatum: · Amcn dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione... sedebitis et vos super sedes duodedim, indicantes duodecim tribus Israel · (Evang. In Missis Abbatum). Similiter etiam Evangelia in Missis Virginum et non Virginum (de decem virginibus vel de sagena missa in mare ad congregandos pisces) novissima et parusiam Domini exspectatam in memoriam revocant.

(1) Phil 3, 20-21; festum Transfigurationis D. N. J. Cbr. in Ofiicio; cfr. Epist. Dom. XVIII p. Pent.

(2) Cfr. Orationem ad mixtionem aquae cum vino in Offertorio Missae.

nentia, in visibilibus invisibilia, in rebus simplicibus veritates altissimas (1).

Dum Ecclesia recolit v. g. praesentationem B. M. V. in templo, Oratio festi nos orare facit, r ut eius intercessione *in templo gloriae tuae* praesentari mereamur». Templum mauufactum Hierosolymitanum ergo symbolum fit cael', praesentatio Dei Genitricis in templo vero figura est nostrae in caelum ingressionis. In festo Dedicationis Ecclesiae aedificium ex lapidibus constructum figura est alterius *aedilicii,* - novae scilicet civitatis Jerusalem -, quod « construitur in caelis *vivis ex lapidibus* » (2), i. e. ex singulis Fidelibus, qui « tunsionibus pressuris, expoliti lapides, suis coaptantur locis per manus Artificis » (3).

Res praesertim ex natura desumptae signum et symbolum fiunt mundi supernaturalis (-1). Ut Ecclesia describat Sanctum aliquem, perlibenter utitur comparatione plantae: « iustus ut *palma* florebit, sicut *cedrus Libani* multiplicabitur », « germinabit sicut *lilium,* et florebit in aeternum ante Dominum » (5). Ita ergo, fieri debet, ut dum aliquis videat cedrum, vel palmam, vel lilium etc., statim recordetur vel in concreto alicuius Sancti, cuius saaictitas per plantas citatas describitur, vel etiam allicientem pulchritudinem sanctitatis in genere. Hoc enim figurae alicui semel adhibitae proprium est, ut dum aliquis videt illam figuram, statim etiam meminerit quod sub figura figuratum bene intellexerat. Unde sub tali imagine vel symbolo etiam profundissimae quaeque veritates indicantur.

Sic v. g. fieri nequit quin tempore Adventus textus quotidie repetiti omnino familiares fiant et cum ipsis novae illae relationes quas indicant: Versus v. g. ▮ Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum » quotidie per Adventum ad Vesperas dicitur, insuper ad Introitum Missae in Dominica IV Adventus, in Missis votivis de B. M. V. et saepius. Si hic versus cantatur, cantus gregorianus - et similiter musica sacra - omnino maiore modo exprimit desiderium ardens ut veniat Christus, qui est iste « iustus » exspectatus. Oratio ergo veterum iudaeorum nostra facta est, eorum desiderium nostrum, quia nos sumus, qui dicimus, cantamus, audimus hunc textum et quidem tamquam nostram, i. e. tot ius Ecclesiae orationem officialem et publicam. Relatio ad Incarnationem deinde patet: Dominus venit ⟨ sicut stillicida stillantia super terram», sicut ros,

(1) Cfr. quae dicta sunt de legibus In Liturgiam etlormandain influentibus, praesertim do loge harmoniae inter naturam et gratiam, apud: Pn. Oppenheim, Introductio in scientiam liturgicam (Taurlni-Homae 1940) p. 79-104.

(2) Hymnus ad Vesperas in festo Dedicationis (Brev. Monast.); cfr. Postcomm. eiusdem festi « Deus qui do vivis et electis lapidibus aeternum maiestati tuae praeparas habitaculum ▮.

(3) Hymnus l. o.

(4) Cfr. Ph ..Oppenheim, Tractatus dc textibus liturgici» (Romae 1945) p. 82; 165 ss.

(5) Cfr. Officium et Missam alicuius Martyris, Confessoris Pont ificis, Confessoris non Pontificis et alia.

nubes pluant eum; additur in versu deinde: «Aperiatur terra, et germinet Salvatorem », germinabit enim «virga de radice Jesse ». Sub tribus ergo figuris demonstratur Incarnatio - vel Parusia - Domini: ut ros. imber, germen; et hoc quidem toties tempore Adventus, ut revera familiare sit - vel deberet esse - unicuique textus liturgicos attente recitanti. Qui ergo hanc figuram, et has relationes, semel bene intellexit, post aliquot tempus ad id pervenire deberet, ut semper Incarnationem vel Christum cogitet vel memoret, dum rorem videt in campo, in flore, dum imber de caelo venit, dum in horto vel ubiubi videt plantam germinantem.

Non minus alii textus hoc idem mysterium in profundum ducunt: Psalmus v. g. qui ad supradictum Introitum cantatur sonat: «Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum » (Ps. 18). Immediate ante Nativitatem Domini sicut revera Dominica IV Adventus - hic Psalmus mediationi foveret, quomodo caeli in adventu Domini narraverint gloriam Dei: stella Magos duxit ad Dominum; stellatum ergo caelum si contemplatur, et ipsum admonere debet de mysterio Nativitatis Domini, praesertim etiam quia Christus per totum tempus Adventus in Hymno praedicatur « Conditor alme siderum » (1). Angeli quoque canebant gloriam Dei, dum apparebant pastoribus nocte in Bethlehem vigilantibus. Eorum carmen nunc illud Christianorum est, dum et ipsi dicunt « Gloria in excelsis Deo » Imo quotidie Praefatio admonet ut cum ipsis Angelis nostras voces uniamus, et cum ipsis sine fine dicamus ter « Sanctus », antequam Dominus veniat super altare ecclesiarum.

Sic ergo in hoc unico textu apparet relatio Incarnationis ad rorem, ad imbrem, ad germinantia, ad stellam Epiphaniae, et per hoc ad omnes stellas, ad cantum Angelorum, ad nostrum desiderium, videndi Christum, ad parusiam Domini, quae et ipsa desideratur et expectatur tamquam Adventus Domini.

Per additum « Gloria Patri » doxologiae insuper ostenditur debitum nostrum officium glorificandi et laudandi Deum propter idem mysterium Incarnationis, cuius relatio ad nos praeterea per alios textus amplius demonstratur v. g. in regeneratione baptismal!, quae commemoratur in Epistola Nativitatis Domini, in mysterio sacrificii Missae, et alibi.

Similia facile in aliis textibus detegi possent, v. g. in Officio Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, in Praefatione Ascensionis et Pentecostes etc. Unde iure concluditur, Liturgiam sacram ad altissimam rerum contemplationem adducere posse.

(1) Brev. Monast

§ 4. - *Liturgia inducit ad practicam exercitationem virtutum cum theologicarum tum moralium et imponit exercitia ascetica practica verbo et usu.*

Liturgia sacra non theoretice tantum postulat vitam vere Christianam nec proponit tantum exempla imitanda, vd solum ad meditationem excitat, nec solas regulas et normas dat vitae asceticae et moralis, sed etiam efficaciter provocat nostram cooperationem cum divina gratia et practice nos inducit ad vitam moralem, asceticam, immo perfectam; in cultu enim liturgico continuo fere cogimur exercere explicite aut saltem implicite quam plurimas virtutes. Et prae primis quidem nobilissimam omnium virtutum moralium, religionem nempe, quae est anima cultus liturgici (1).

Iam ipse cultus non est nisi practicum exercitium virtutis religionis. Omnes enim et singuli actus in Liturgia praescripti, injunguntur et servandi sunt ut actus religionis. Multi tamen actus liturgici a religione tantum imperantur, sed eliciuntur ab aliis virtutibus; adeo, ut in cultu liturgico, fere continuo exerceamus explicite aut implicite fidem, spem et eharitatem, humilitatem, orando pro aliis, poen'tentiam, agnoscendo nos peccatores, etc. Qualis et quanta ratio, ut nihil in Liturgia parvipendamus, sed omnia « digne, attente, ac devote» hoc est, religiose, servemus!

Omnes autem tum textus tum actiones liturgicae aliquam virtutis exercitationem includunt. Ipsae vero virtutes non tantum auctoritative imperantur - hoc apud homines provocare solet saepe indignationem vel resistentiam -, sed simpliciter quasi quoddam naturale exercentur, et quidem ab omnibus communiter ideoque facilius praestantur.

Pauca exempla hoc demonstrent.

Exercemus v. g. *fidem* per verba, per facta, per symbola, per genuflexiones aliosque ritus et caeremonias. Quotiescumque enim recitamus symbolum fidei in Officio vel Missa, virtutem fidei exercemus et nostrum *Credo* dicimus. Psalmi deinde, qui principaliorem partem orationis liturgicae constituunt, — illis enim utitur Ecclesia tum in textibus Officii divini, tum in partibus, quae in Missa tamquam variabiles cantantur, tum etiam in administratione aliquorum Sacramentorum et Sacramentalium, — praesertim fidem in exsistentiam Dei

(1) Cfr. V. Lottin, L'âme du culte, ia vertu de religion (Louvaiu 1SÏ0).

eiusque operationem et gubernationem exprimunt. Unaquaque denique Oratione liturgiea profitemur, fidem nostram in Domn eiusque proprietates et operationes, non minus fidem profitemur actionibus liturgicis, sicut per quamcumque prostrationem, genuflexionem vel alium modum adorationis. Symbola quoque, quae adhibentur, in administratione Sacramentorum vel Sacramentalium, fidem nostram manifestant et exercent: panis et vinum in s. Eucharistia, oleum in Confirmatione et Extrema Unctione, aqua in Baptismo etc. fiunt obiectum fidei.

Quam facile et connatura!)ter exercemus deinde virtutem *spei!* Nam si petimus, preces fundimus, manus in oratione extendimus et iungimus, orationem vel celebrationem Missae procuramus ad specialem intentionem, etc. confidimus nos exauditos fore, semper spei virtutem exercemus.

Caritatem ostendimus iam per hoc, quod quotidie tum in Missa tum in Officio pro invicem orare tenemur. Omnis enim oratio, praesertim Canonis Missae supponit, ut etiam alios eortunque necessitudines respiciamus. Ad quod faciendum textus liturgici continua nos admonent iam per formam pluralem Orationum. Iinmo explicite dicimus v. g. in Canone Missae: « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum... et omnium circumstantium pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro se suisque omnibus... Memento etiam famulorum famularumque tuarum qui nos praecesserunt»; vel optime ad Offertorium: «Suscipe S. Pater... et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus, vivis atque defunctis ». Liturgia porro non desinit nos admonere ad facienda opera caritatis: ut «Omnia vestra in caritate fiant », « alter alterius onera portate », ita per annum in floris minoribus per diem (1). In antiquo aevo Christiano omnis et tota operatio caritatis ex Sacrificio Missae sumpsit exordium et fomentum: ex donis quae offerebantur, solebant sustineri viduae, orphani, infirmi, alieni, pauperes, hospites etc. Haud raro instituebantur iemnia, ut haberent unde pauperibus darent. Liturgia duce deinde tenemur, ut diligamus etiam inunicos, ipsisque dimittamus quae habent contra nos: nam «praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster... dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ».

Humilitatem quasi connaturaliter exhibemus, dum tundimus pectus ad verba: « miserere nobis » vel « Domine non sum dignus », dum culpam nostram profitemur in oratione « Confiteor », dum ad petitionem

(1) Cfr. v. g. Capitulum ad Sextam per anuum; Capitula Quadragesimae; permultas lectiones Epistolarum et Evangeliorum in anno, etc.

prosternimus vel genuflectimus, dum peragimus « Mandatum » Domini feria V in Coena Domini, etc.

Quasi summa omnium virtutum est pia *devotio* et *adoratio* de qua toties in textibus liturgicis est sermo: hominis promptitudinem ostendit, omnia reliquendi et Dei voluntatem faciendi, ut in omnibus glorificetur Deus.

Optimam suam expressionem haec pia devotio invenit in Oratione ad Offertorium'Dedicationis Ecclesiae: Domine, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa... custodi hanc voluntatem, Domine Deus», et similiter in Oratione Professionis votorum Religiosorum quae in multis Ordinibus et Congregationibus religiosis dicitur; « Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam », et procidens ad genuflexionem candidatus pergit in oratione: « et non confundas me ab exspectatione mea »; porro in Oratione Missalis « nosmetipscs tibi perfice munus aeternum » (1), praesertim quotidie in Missa post Offertorium, cum Dominum rogamus: « In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et eic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi ».

Similiter ct omnes aliae virtutes aut explicite aut saltem implicite in culto liturgico exercentur (2), mira quadam dispositione et harmonia, non ex intenta voluntate, sed quasi connatural]ter.

Liturgia non solum multas et varias exhibet exercitationes practicas asceticas, sed et certas normas et tempora ad illas exercendas instituit, omniaque haec ad virtutem Sacrificii Missae adnectit, quia omnia exercitia ascetica a Sacrificio Missae accipiunt virtutem, et ad illud convergunt tamquam ad fontem vel ad culmen.

Et primo quidem verbo et usu evocat ad ascesim:

Repetitis vicibus *ad/nionet,* ut Fideles terrena despiciant (3), ut munera sacra nos a terrenis delectationibus expediant (4). Saepius illos *beatos praedicat,* qui pede calcarunt terrestria (5). In Psalmis praesertim et permültis Lectionibus ad vitam asceticam admonet, optime v. *g.* in Ps. 14: « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo », in Ps. 33: «Quis est homo, qui vult vitam » etc.

Malta porro *exercitia ascetica sibi inserta ostendit:* Adventus, tempus quadragesimale, Quatuor Tempora, Vigiliae, dies Rogationum

(1) Secreta in festo SS. Trinitatis: cfr. Secretam Feriae II Pentecostes.

(2) Alia vide in capite · De valore paedagogico et de methodo educativo Liturgiae ·, necnon in capite « Character et methodus instructionis liturgicae ·.

<3) Postcomm. Doni. 2 Adv.; Secreta Solemnit. S. Joseph etc.

(4) Postcomm. Dom. 4 p. Epiph.

(5) V.g. hymnus ad Laudes Comm. Plur. Mart. Temp. Pasch.; hymnus ad Vesperas Comm. unius Mart.; Antiph. ad Magn. 2 Vesp. Conf, non Pont.; hymnus ad Vesperas et ad Matut. Comm. Plur. Mart.; hymnus ad Vesperas Comm, nec Virg. neo Mart.; Antiph. ad 1 Vesperas Comm. Plur. Mart.; homilia S. *Gregarii Magni* in Comm, unins Mart. etc.

aliique dies postulant et *fovent ieiunium et abstinentiam,* eleemosynam et orationem.

Quam graviter Feria IV Cinerum et subsequent! Feria VI, immo per totam Quadragesimam usque ad Dominicam Passionis et in diebus Quatuor Temporum admonemur ad ieiunandum, imo ad sanctificandum ieiunium! «Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in ieiuniis multis », ita continuo in Quadragesima et saepius admonemur (1). Ipsum ieiunium vocatur «veneranda solemnitas » (2). Sat rationes indicantur, quae ieiunium commendent: pro corporali ieiunio enim Deus « vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia » (3). Alia facile ex diversis Orationibus tempore ieiunii colliguntur (4).

Xon minus enixe Liturgia *commendat opera caritatis,* praesertim *eleemosynam,* sicut feria VI et sabbato post Cineres, feria V in hebdomade I Quadragesimae. « Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam » i. e. proximum tuum, « ne despexeris » (5), « Subvenite oppresso, indicate pupillo, defendite viduam » (6). ita textus liturgicus quotidie per totum tempus s. Quadragesimae admonet, ut simul recta ratio ieiunandi ostendatur.

Textus liturgicus *laudibus extollit* deinde benedictiones quae sequuntur benefacientem ut etiam ita excitet ad bene faciendum: « Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi », ita apud s. Laurentium, tam in Officio quam in Missa; « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes », ita in Lectionibus et Antiphona alicuius sanctae mulieris.

Commendatur quoque *vigiliarum observantia:* « Non sit vobis vanum, mane surgere ante lucem, quia Dominus promisit coronam vigilantibus», ita in Invitatorio Dominicarum tempore Quadragesimae. Qua de causa Ecclesia ante singula festa et solemnitates maiores instituit « vigilias », in quibus olim revera per totam noctem « vigilatur » in orationibus et lectionibus, in Psalmorum cantu, etc.

Quoties divinus cultus invitat ad *orationem!* Unusquisque dies proprias suas orationes habet·, immo, totus dies liturgicus consecratur per repetitam orationem canonicam. Nulla autem oratio liturgka incipit nisi praemissa admonitione: Oremus! Specialiter invitat Ecclesia ad orandum diebus Rogationum, Quatuor Temporum, Quadragesimae, in Vigiliis, aliisque diebus, in quacumque necessitate vel

(1) Epist. feria IV Cinerum; Antiph. ad Sextam tempore Quadragesimae.
(2) Feria £V Cinerum, Oratio.
(3) Praefatio Quadrages.
(I) Cfr. Ph . Oppenheim, Notiones Liturgiaefundamentales (Taurini-Bomae 19t l) p. 102 s.
(6.l Capit, ad Nonam temp. Quadrages.
(0) Capit ad II Noct. Matut. temp. Quadrages. (Breviarium Monast.).

tribulatione, quotiescumque aliquod negotium maioris momenti incipit, confidens de Dei promissione: «Arnen dico vobis: quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, et fiet vobis » (1).

Prima enim conditio vitae religiosae et asceticae est oratio, absque qua homo non potest manere fidelis, neque vera ascesis fieri potest, sicut omnes doctores ascetici confirmant. Oratio enim ascensus mentis ad Deum est, ad impetrandam gratiam necessariam, ad reddendum Deo debitum honorem et gloriam.

Primum igitur studium viri ascetici debet esse, ut quam intimum contactum habeat cum omnibus realitatibus ordinis et mundi supernaturalis, praeprimis vero cum efficaci operatione Spiritus Sancti.

Quem contactum Liturgia sacra tali plenitudine et perfectione ad effectum ducere intendit, quali nihil aliud.

Continuo concomitatur animam ad thronum divinae gratiae eique orationes praestat, in Versibus et Antiphonte etiam iaculatorias; cordibus inserit sanctum timorem Dei, et interiorem gravitatem recollectionemque mentis praeparat; hominem instruit de interna cum Deo ambulatione et unione eumque perfacile liberare potest atque reddere independentem ab hominum indicio et a fori turbaeque praeiudicio. Sic veram moralem renovationem vel restaurationem vitae elaborat: hominem directe et immediate subiicit operationi Spiritus Sancti et religiosum ambitum orationis mentalis creat (2).

Liturgia etiam *castigationes et austeritates exteriores* quibus caro spiritui, spiritus autem Deo subiiciatur non refutat, sed potius commendat et memorat: De S. Caecilia glorianter dicit: « Cilicio domabat membra sua; Deum gemitibus exorabat » (3). «S. Maurus super cilicium stratus coram altari feliciter occubuit » (4). Cingula vel cilicia benedicuntur in honorem B. Mariae Virginis, S. Joseph, S. Thomae; modo particulari benedicitur cilicium pro moribundis et poenitentibus, etc. Pontificale Romanum (5) usque in hodiernum diem supponit publicam poenitentiam cum suis exercitiis. Soleinnitas liturgica in votis religionis edendis vel in consecratione virginum, in ordinatione monachorum, in benedictione abbatum offert plures orationes et terminos, qui istorum omnium exercitia ascetica proponunt.

(1) Mare 11, 21; Communio in ultimis Dominlois post Pentecosten, incipiendo cum Dom. XXIII; ctr. praeterea praesertim Liturgiam Dominicae V post Pascha, et Evang. in Missa Rogationum: « Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cocio dabit spiritum benum petentibus se? · ibd. Comm. « Petite et accipietis; quaerito et invenietis; pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. › Cfr. Comm. Dedic. Ecclesiae « Domus mea domus orationis est: in ea omnis, qui petit, accipit, qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur ▮, etc.

(2) Cfr. quae infra dicentur in capite de ❙ Praestantia orationis liturgicae ›.

(3) Antiph. 3 et Resp. 5 ad Matut. (Brev. Monast.)

(4) Antiph. ad Magn. Vesp. II (15 Jan.) Breviarium Monast.

(5) Pontificale Rom. III p. 6 ssq. 23 ssq.

Sed omnia haec aliaque exercitia ascetica, quae Ecclesia in Liturgia proponit et approbat, non imponuntur vel suadentur propter seipsa tamquam finis, sed solummodo tamquam media ad finem, scilicet ad perfectionem consequendam. Omnes enim tales textus supponunt in homine conscientiam propriae suae culpae et indignitatis. Ipsa exercitia ea ex ratione adhibentur, ut homo a reatu liberetur, m Deus placetur: « Deus qui culpa offenderis et poenitentia placaris » (1); *medicina* volunt esse, ut spiritus humanus aegrotans sanetur, « ut ieiunando tua gratia satiemur et abstinendo, cunctis efficiamur hostibus fortiores » (2) « ut cum epularum restrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus temperemus » (3). Deus enim «corporali ieiunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia» (4).

Liturgia sacra in proposita ascesi sua ergo non remanet in re mere negativa, in mortificationibus et castigationibus: semper aliquid positivi intendit; illum mundum supernaturalem vult extruere, de quo S. Paulus loquitur ad Ephesios, Philippenses, Colossenses (5).

Hinc ia *consecratione virginum* v. g. non tantopere postulat solummodo abrenuntiationem, mortificationem, caelibatum, castitatem, sed virgines Christi sponsas facit ideoque eas admonet ut semper paratae sint occurrere Sponso: « Ecce sponsus venit, aptate lampades vestras, exite obviam ei! » et totam illam vitam positivam proponit, quam continet vera virginitas ex amore Dei susscepta (6). *In ordinatione monachi* similiter secundum iudicium S. Benedicti abbatis culmen solemnitatis liturgicae non est in pura abnegation© et abrenuntiatione monachi, sed in humili petitione ut Deus eum accipiat: « Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea!» (7). Ita etiam in Baptismo omnes caeremoniae summum consequuntur non in abrenuntiatione catechumeni ,ad satanam eiusque opera et angelos, sed in acceptatione novae vitae. Similiter rectus modus ieiunandi v. g. in lectione feria VI post Cineres explicatur per positiva opera caritatis, quae necessario debent accedere ad ieiuniorum et mortificationum privationes.

Hinc v. g. ieiunandum est, non tantum, ut Deus « flagella iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, avertat » (8) vel ut « propitiationem im

(1) Oratio Feriae V. p. Cineres, Oratio in Litaniis maioribus, in absolutione generali religiosis impertienda, et saepius.

(2) Sabbato Q. T. Septembris.

(3) Secreta Dom. I Quadragesimae.

(•l) Praefatio temp. Quadrages.

(5) Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romac 1911· p. 100-107.

(6) Cfr. Pn. Oppenheim, Die Consecratio Virginis ais goistesgeschichtliches Problem Eine Studie zu ihrem Aufban, ihrem Wert und ihrer Geschichte (Roma 1913).

(7) Regula S. Benedicti, cap. 58.

(8) Feria V post Cineres, Collecta.

petreruus » (I), sed corpora ieiuniis castigantur ad animarum medelam (2); ut mens nostra Dei desiderio fulgeat (3); ut dignitas conditionis humanae reformetur (4); « ut a noxiis voluptatibus temperemus » (5); ut « facilius coelestia capiamus » (6) etc.

In vigiliis saepius oramus, ut « veneranda solemnitas, quam praevenimus, et devotionem nobis augeat et salutem » (7); ut Deus propter vigiliam « perpetuam nobis misericordiam benignus » impendat (8); ut iucundos nos faciat interesse festivitati (9); ut intercessione illius Sancti «a nostris iniquitatibus resurgamus» (10). «Hilarem enim datorem diligit Deus».

(1) Sabbato post Dom. Passionis.
(2) In vigilia Pentecostes.
(3) Feria II post Doni. I Quadragesimae.
(4) Feria V post Dom Passionis.
(5) Feria II post Dom. I Quadrag. Secreta.
(0) Feria IV post Dom. IV Quadrag.
(7) Vigilia Apostolorum, Oratio.
(8) Vigilia S. Laurentii (9 Aug.).
(9) Vigilia Assumptionis B. M. V. Oratio.
(19) Ibd. Postcomraunio.

Caput II.

Liturgia copiose procurat gratiam necessariam.

Liturgia multiplici ex capite procurat et obtinet divinam gratiam, tantopere necessariam ad gerendam vitam vere Christianam.

Incessanter fere *in Orationibus nos petere* facit gratiam, sive ad inchoandum aliquod opus, sive ad obtinendum divinum auxilium in opere, sive ad opus perficiendum vel ad perseverandum usque ad finem. Maxime instructivae sub hoc respectu sunt Orationes praesertim Dominicarum post Pascha et post Pentecosten.

Ita petitur v. g. in Oratione Dominicae infra octavam Epiphaniae, *ut fideles « et, quae agenda sunt, videant, et ad implenda, quae viderint, convalescant* ; in Dominica IV post Epiphaniam: «Deus, *qui nos* in tantis periculis constitutos, *pro humana scis fragilitate non posse subsistere,* da nobis salutem mentis et corporis... »; Dominica VI post Epiphaniam: «Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, *ut semper rationabilia méditantes,* quae tibi sunt placita, et dictis exsequamur et factis »; Dominica III post Pascha: « *Da cunctis,* qui christiana professione censentur, *et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea quae sunt apta, sectari»;* Dominica in albis: «Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, *ut,* qui *paschalia festa* peregimus, haec te largiente, *moribus et vita teneamus'»;* Dominica IV post Pascha: « *Da populis tuis id amare quod pra°cipis. id desiderare quod promittis,* ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia»; Dominica V post Pascha: « *Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire* supplicibus tuis, *ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus»;* et ita porro.

Quod vero ita petitui·, si sincere petitur dubium esse non potest, quin etiam obtineatur, et ita petitioni nostrae respondet divinae gratiae elargitio.

Gratiam divinam obtinent diversa Sacramenta et Sacramentalia Ecclesiae, illa ex opere operato, msi adsit obex gratiae, haec ex opere, operantis Ecclesiae et secundum subiectivam dispositionem uniuscuiusque. Quaenam vero gratiae in specie ex administratione vel receptione Sacramenti vel Sacramentalis obtineri possint, clare in ipsis suis Orationibus dicitur.

Ita v. g. benedicitur *sal,* « ut sit omnibus sumentibus » illud « sanitas animae et corpori^, et effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fuerit, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus » (1).

Aqua benedicitur, « ut... ad abigendos daemones, morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquae effugiat; ut salubritas, per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa » (2).

In distributione aquae benedictae diebus dominicis petitur: « Mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo » (3). In benedictione *candelarum* petitur : « Infunde eis, Domine, per virtutem Sanctae Crucis, benedictionem coelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque benedictionem signaculo sanctae Crucis accipiant, ut, quibuscuinque locis accensae sive positae fuerint, discedant principes tenebrarum et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis: nec praesumant amplius inquietare aut molestare servientes tibi, omnipotenti Deo » (1).

In ritu baptismati v. g. super baptizandum ita oratur (5): « Omnipotens sempiterne Deus... respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eo expelle; disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuae, ut, signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum fx etoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat et proficiat de die in diem ».

Alio loco in eodem ritu petitur a Deo: « Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N., respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur caelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur » (6).

Et iterum: « Munda eum, et sanctifica; da ei scientiam veram, ut dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam » (7).

(1) Ordo ad faciendam aquam benedictam (Missalo Romanum, Appendix).
(2) Ibd.
(3) Ibd.
(4) Missale Romanum, Appendix – Rituale Romammi VIII, 3.
(5) Ordo Baptismi Parvulorum, Rituale Romanum II, 2, 5.
(6) Ibd. II, 2, 7.
(7) Ibd. II, 2, 9.

Post ipsum Baptismum oratur, et indicatur verus effectus obtentus (1): « Deus omnipotens... *qui te regeneravit* ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te lineat Chrismate salutis in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam ». Alius est enim effectus ex opere operato Sacramenti, alius ex Sacramentalibus Ecclesiae precibus obtinendus.

Praesertim obtinetur gratia divina *in sacrificio eucharistico,* quod est « fons omnis sanctitatis » (2), et, secundum sententiam Summorum Pontificum (3) generatim *ex activa participatione in divinis mysteriis et officiis,* qua « hauritur spiritus vere Christianus tamquam ex suo primario adeoque necessario fonte ».

Hinc *annus* quoque *sacer Ecclesiae* multiplici ex capite procurat gratias: festa enim et tempora sacra disponunt animam ad recipiendam speciales gratias huic vel illi festo vel tempori proprias. Adjuvant porro indulgentiae ab Ecclesia pro singulis festis vel temporibus privilegiatis concessae, necnon pia exercitia cis adnexa, maior devotio ex confluxu populi et solemniore apparatu celebrationis causata, praeceptum assistendi divinis mysteriis iisque, pro posse, participandi, et alia huiusmodi.

(1) Ibd. II, 2, 23. «

(2) Festum S. Ignatii Loyol. (31 Juli), Secreta.

(3) Pius X, Motu proprio «Inter pastoralis officii · (1903). Pius XI, Constitutio Aposl. « Divini cultus · (1928).

Caput TIT.

Confirmatur valor Liturgiae moralis-asceticus ab extrinseco.

Liturgiae competere valorem moralem-aseeticam et ipsam esse magnum auxilium in erigenda vel sustinenda vita Christianorum morali, consensus multorum praestantissimorum virorum ecclesiasticorum confirmat.

Inter *Summos Pontifices Pius X* v. g. haec habet (1): «Cum enim vehementer Nobis cordi sit, ut spiritus **vere christianus** in fidelibus omnibus undequaque reflorescat inviolatusque servetur, ante omnia sacrarum aedium sanctitati dignitatique provideamus oportet, ubi scilicet congregantur ad eundem spiritum **ex primo eoque necessario fonte hauriendum,** hoc est ex actuosa cum sacrosanctis Mysteriis, publicis solemnibusque Ecclesiae precibus communicatione ».

Similiter in *Catechismo* auctoritate eiusdem Pii X edito Pontifex conqueritur (2): Si Fideles celebrarent festa eo sensu ac spiritu, in quo ab Ecclesia instituta et ordinata sunt, notabilis inde renovatio et incrementum fidei ac pietatis esset, et consequenter tota interior vita fidelium fieret gravior, melior, sanctior, purior. Romanus ergo Pontifex proponit sacram Liturgiam tamquam primum eoque necessarium fontem totius vitae praeticae Christianae.

Pius P. XI non minus clare et serio de gravi momento Liturgiae loquitur. In Constitutione Apostolica « Divini Cultus » de die 20-12-1928 v. g. inter alia haec habet: «Atque res utique sacra est Liturgia: *per eam* enim *ad Deum evehimur ipsique coniungimur,* nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo

(1) Pius X, Motu Proprio «Iuter pastoralis otllcii » d. 22.11.1903; cfr. etiam ejusdem Encyclicam «Pascendi et «Acerbo nimis ·. Sixtus V, Constit. Apoat. «Immensa ·: « Ritus Nicri magnam Christiani populi eruditionem... continent ».

(2) Cfr. Catechismus Catholicus Appendix II (cd. P. Card. Gasparri. (Romae 1933) p. 270-272.

indigemus. Hinc *intima* quaedam *necessitudo... inter cultum Christianum et populi sanctificationem...* Ex his intelligitur, cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in Liturgia tutanda et constodienda... Itemque patet cur sancti Patres Liturgiam sacram... verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eani esse Christiano populo exponendam et explicandam ». Dicit porre cum Pio P. X: «Etenim ob eam causam ad aedes sacras iideles conveniunt, ut pietatem tamquam ex praecipuo fonte hauriant, veneranda Ecclesiae mysteria ac publicas solemnesque preces actuosi participando ».

Si ergo iuxta indicium. Summorum Pontificum Liturgia « fons primus, praecipuus eoque necessarius est » « ex quo hauritur » et reflorescit inviolatusque servatur « spiritus vere Christianus », tunc totam doctrinam moralem et asceticam Christianam debet continere, et quidem non obscuram et difficile vel a paucis tantum inveniendam, sed claram ac facile ad hauriendum, omnibusque accessibilem.

Ex numero *virorum clarissimorum* denique qui sancti, docti, pii ipsi erant atque Liturgiam sacram laudibus extollunt tamquam optimum apologetam doctrinae asceticae et ducem ac adiutorem vitae vere Christianae, ex antiquo aevo Christiano solummodo S. Augustinus testis sit, qui Liturgia « perculsus consilium cepit Christi fidem amplectenti » (1); ex tempore vero recentiore Cardinalis Newman citetur, qui affirmavit, si Protestantibus aliisque acatholicis in manu darentur fibri tantum officiales liturgici Ecclesiae catholicae — Breviarium, Missale, Rituale, Pontificale etc. — ut ex ipsis fidem et doctrinam catholicam cognoscerent, per hoc statim omnia praeiudicia contra religionem catholicam in absurdum ducerentur; Bernhardu Capelle abbas vero lineamenta fundamentalia et essentialia huiu nostrae theseos breviter proposuit in capite: « La Liturgie soutien de la vie morale », in plures linguas versas (2). Concilium Mechliniensr elaboratum programma proposuit pro realizatione et redintegratione vitae liturgicae (3). Undo patet valor doctrinalis et moralis asceticu Liturgiae sacrae.

(1) Pius XI, Constit. Apost. · Divini cultus » d. 20.12.1928.

(2) Cours et Conférences des Semaines Liturgiques 9 (1932) p. 107-125; item: Rivista Liturgie» 20 (1933) 298-302; 334-337. Id., Prière liturgique et vie chrétienne = Ibd. 10 (1932> 111-125; La Communion et la vie morale = Les Questions Liturgiques et Paroissiales 16 (1931) p. 3-12; Objet et but do l'enseignement liturgique Ibd. p. 179-189; L'esprit liturgique ut la réforme de renseignement religieux dans le diocèse de Malines = Ibd. 21 (1936) p. 257-266 333-345. Le pur christianisme de la liturgie = Ibd. 22 (1937) 33-50.

(3) Cfr. A. Robeyns, La liturgie au Congrès de Malines = Les Questions Liturgique i et Paroissiales 21 (1936) p. 283-332.

TITULUS III.

Valor Liturgiae paedagogicus

Caput I.

Liturgia efformat christianum in spiritu vere christiano (1).

Liturgiae sacrae primario quidem non est. hominem educare, sed Deum laudare; verumtamen fieri nequit, quin secundarie et quasi concomitante!· homines per ipsum exercitium divini cultus in spiritu vere christiano eiïormet (2). Omnes enim facultates animae afficit, ut **totus** homo Christo eonformiter lormetur: **intellectus** per mysterium excitatur ad clare ac profunde cogitandum de re divina; **voluntas** per ea, quae cultus proponit vel postulat, quam maxime movetur ad bene agendum et ad imitandum Christi Sanctorumque exempla; omnes denique vires **mentis** et **cordis** ingenuose. afficiuntur, ut per affectus sapiant quae cultus innuit et sic evolvantur simul et sanctificentur.

Prosequendo methodum suam educatoriam Liturgia sacra prae aliis respondet ad quaestionem de fine et forma undique expleta et perfecta educationis.

Iam· ratio cognovit, innitendo primitivae revelationi vel personali alicui investigationi aut experientiae, *hominem creatum esse secundum Dei imaginem et similitudinem·,* unde fieri non posse, quin aliquid saltem habeat de similitudine cum Deo et in id tendat, ut hanc similitudinem crescere faciat; iure ergo affirmatur hominis finem et officium in eo debere consistere, ut hanc similitudinem et affinitatem cum Deo verbis et factis exprimat atque evolvat (3).

(1) Cfr. etiam, quae de tinibus Liturgiae dicta sunt apud: Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1911) p. 81-107.

(2) Pius X, Motu proprio « Inter pastoralis officii · 22.11.1903; Pius XI, Constit. Apost. • Divini cultus » 28.12.1929.

(3) Cfr. L. Bopp, Liturgiscbe Erziehung. Gegebenes und Aufgegebenes (Freiburg i. B. 1929) 45-69.

Divo Paulo *paganorum* poetae noti erant, qui de. hac re profunda edixerant (!), sicut fecerunt de facto v. g. Aratus, Kleanthes, Pindarus, alii; tempore vero post S. Paulum praesertim Plotinus (c. 270) de hac re scripsit. *Sacra Scriptura* deinde alta voce de hominis cum Deo similitudine loquitur idque non solum quoad finem creationis hominis sed etiam quoad eius perfectionem ultimam (2).

Liturgia sacra vero repetitis vicibus dilucide perspicueque proponit, hominis praesertim esse, ut Dei perfectiones de novo semper repraesentet et imitando exprimat (3), immo totus cultus pro scopo habet non tantum ut Deus glorificetur hominesque sanctificentur, sed ut externe ac interne Christo uniantur, ut Christus formetur in eis, et ipsi crescant in Christum et in Christo, atque « idem sentiant quod et in Christo Jesu ».

Cuius rei medium primum seu fundamentale est imitatio Christi, qui est « splendor Patris ». Eius vero exemplar clare ex sanctis Evangeliis, quae quotidie in divino cultu leguntur, eruitur (4). Ad cuius imaginem vel similitudinem obiective clarius et profundius in homine elaborandam et perficiendam totus cultus, notatim Sacrificium Missae et Sacramenta maiores semper et sublimiores virtutes gratiarum conferunt, ut sic, adiuvante gratia, facilius et libentius Christi praecepta exsequi valeamus.

Omnis enim educatio et formatio spiritualis hominem in meliorem mutare studet; vero autem in melius mutatio hominis fieri nequit nisi per gratiam; unde cultus liturgicus continuo loquitur verbo et opere de necessitate gratiae (5); gratia vero .pruno et principaliter confertur per S. Eucharistiam aliaque Sacramenta, immo per omnem cultus celebrationem, mediante ergo Liturgia sacra: unde sequitur Liturgiam necessarium fundamentum esse omnis et totius verae educationis, omnemque educationem hominis Christiani gratiam summi aestimare eamque tamquam factorem principalem agnoscere et ad plenum suum effectum perducere debere (6).

Sanctitas enim praesertim in eo consistit, ut gratia, DeDergo operatio, in homine semper crescat et homo eius inspirationi respondeat.

(3) Act 17. 28.

(2) Cfr. v. g. Gen 1, 26-27; Phil 3, 20-21.

(3) Matth 5, 48.

(4) Cfr. Ph. Oppexhkui, Christi persona et opus secundum textus Liturgiae Sacrae Ephemerides Liturgicae 49 (1935) 367-383; 50 (1936) 224-242; Iu., Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Bomae 1941) p. 238-251.

(5) Cfr. quae supra dicta sunt in titulo 11 capite 11 huius partis II (▪ Liturgia copiose procurat gratiam necessariam »).

(6) Cfr. J. l'H. Boitbls, Erziehungs-und Bildungslehre (1852) 26 ssq; Bopp, I. c. 48; P. Pabsoh, Liturgische Lebensgestaltung (BL 8 (1933) 5sq).

Unde omnia obstacula amovere debet, quae operationem gratiae impedire possunt, et necessarium ambiens religiosum creare debet, quod fovet efficacitati gratiae. Vita gratiae non est suppositio vel conditio tantum omnis et totius virtutis et perfectionis, sed finis proprius et continuus totius vitae.

Unde etiam Ecclesia gratiam maximi habet: omnem vitam Christianam inchoare facit cum collatione gratiae — in Sacramento Baptismi —, et tamquam *centrum* totius vitae Christianae S. Eucharistiam habet, unde Christianus necessarium hauriat remedium et fomentum, ad realizandum in tota vita sua illud mori et vivere cum Christo de quo Apostolus, quod in Sacramento fontis incipitur, in S. Eucharistia, praesertim per omnem celebrationem Missae, renovatur et perficitur (1); incorporatio quoque, in Christum, quae fit in mysterio Christianae initiationis — complantati enim sumus per aquam cum Christo —, ad ultimam perfectionem ducitur per S. Eucharistiam, qua Deus possidet hominem eumque interius penetrat.

Gratiam esse fundamentum omnis educationis christianae praeterea ex eo deducitur, quia omnes fere Orationes Ecclesiae semper petunt gratiam Dei, cui petitioni, in qua tota orat Ecclesia, et cum ipsa et in ipsa Christus, eius Caput, Deus vix resistere poterit.

Per varias benedictiones et exorcismos et per rotam celebrationem liturgicam Ecclesia creat revera religiosum ambiens, ad quod gratia divina facilius adnectere, in quo efficacius operare potest.

Praeterea Liturgia in formatione hominis spiritualis *non eundem* omnibus Fidelibus imprimit *unifórmem Charactérem*, sed potius omnibus concedit quandam *libertatem*, ut nempe **secundum propriam et individualem suam indolem** diversimode perfectiones unius eiusdemque semper divini exemplaris, Christi scilicet vel Patris, imitentur et exprimant; quae varietas optime elucet v. g. ex diversis typis Ordinum vel Congregationum Religiosorum et Religiosarum, quos Ecclesia omnes amplectitur, et ex diversis Sanctorum characteribus (2). Non minus **diversae hominum classes** vel conditiones professionesque eundem **Christum tamquam exemplar** habent: operarius et patronus, discipulus et magister, medicus et. sacerdos, doctus et rudis, et tamen di-

(1) Cfr. complures Postcomm. Missalls Romani; cfr. etiam: V. Michel, Liturgy the life of the Church (Collegeville 1926); B. Capelle, La liturgie soutien de la vie morule (Scniuiiies liturg. 9 [Louvain 1932] 107-125); I. Herwegen, Vom christlichen Soin mid Lcbcn (Berlin 1932).

(2) L. Bopp, Religiôse Typen innerhalb des Katholizismus (Mûdchenblldung 21 (1028) 777 ssq).

versimode eius perfectionem exprimunt, unde similiter patet diversorum libera et varia' imitatio. Hinc etiam varii Sancti a Sede Apostolica tamquam Patroni caelestes singulis hominum classibus et societatibus dantur, quia diversimode in eis elucet ideale sanctitatis.

Sub alio quoque respectu dici potest, Liturgiam sacram esse magistram verae animi libertatis : Per varietatem enim textuum *obieetive* creat copiam quandam aspirationum, motionum et relationum spiritualium, ex quo uberi fonte unusquisque secundum propriam suam indolem quam liberrime haurire potest.

Liturgia enim mentem non in determinatas vias cogit, quae obstant propriae indoli nec eam vinculis obstringit incongruentibus: Sed regali quadam liberalitate dispergit ideas spirituales, eas coniungendo imitate non quidem logica vel stricte systematica, sed potius alia, quae lyrica seu affectuosa nominari potest, quaeque allicit. Ope enim sacri cantus, Psalmorum, hymnorumque et Orationum textu necnon et mirabili actionum concentu, homo *quasi naturaliter* et absque opera, in conspectum Dei Altissimi et in mundum sacrarum cogitationum et operationum fertur, ubi paulatim omnia terrena relinquens suique obliviscens, vocem suam ciun iubilantibus sacris choris Angelorum et Beatorum unit, Deumque suum ac Dominum collaudat atque magnificat. Immo in celebratione sacri cultus fideles intimas suas ad Deum relationes enuntiant, confirmant, augent, in profundum ducunt, et sic vere liberi fiunt.

Virtutes vero in textibus et actibus liturgicis, ut supra demonstratum est, homini tamquam amabiles desiderabilesque proponuntur, ut velut naturaliter, ex bona consuetudine et delectatione virtutum, in vita spirituali proficiat. Christianus enim non formatur in oratione et actione liturgica per exercitium alicuius virtutis tantum vel specialium aliquarum virtutum, quarum sibi conscius est, quasque sibi exercendas proposuit, sed eo, quod in lumine veritatis sempiternae simpliciter et vere vivit, quasi naturaliter exercendo actus et virtutes huic vitae correspondentes prout exercitium s. Liturgiae eas insinuat vel postulat. Vix enim una Oratio est, vel caeremonia, quae non exprimat aliquod exercitium fidei, spei et notatim caritatis; quot et quales actus religionis, pietatis, oboedientiae, sui mortificationis, humilitatis, reverentiae erga alios etc. exercentur, si cultus rite peragitur!

Nam homo non per hoc quod aliquid religiosi *sciat,* fit religiosus - tunc etiam daemones religiosi essent - sed per hoc quod religiose *vivat,* Deumque. per Christum adoret in spiritu et veritate, quod Deum Patrem et eum quem misit Filium magis semper cognoscat, agnoscat et amet, in unione cum Christo eiusque Ecclesia vivat, seipsum offerat in hostiam vivam, sanctam, Deo pia-

centem, vitam suam gerat in Christo et ex Christo, ut sic sanctificet totam vitam suam et laborem (1).

Ad exercendas virtutes homo Christianus impellitur ea praesertim ratione, quia est membrum in corpore Christi mystico, in quo singula membra tenentur non solum, ut seipsa invicem adiuvent atque confortent, sed etiam, ut conservent et augeant suam dignitatem (2). Quanti vero momenti sit talis deliberatio pro bona educatione, vix unus negabit.

Animi vero libertas perficitur in *amore:* Secundum celebrem aliquam S. Augustini sententiam « cantare amantis est », etiam Ecclesia, Christi sponsa, in Liturgia sacra cantat canticum amoris sui. Omnis vero anima Christiana est sicut Ecclesia: sponsa Christi. Ideo homo accenso amore et dilatato corde misericordias Dei decantare tenetur (3).

Summum vero amoris est tota *sui dedicatio* et oblatio; ad quem ultimum actum religionis perfectae faciendum Liturgia hominem Christianum saepius in anno adducit: in Offertorio Dedicationis Ecclesiae, in qua simul celebratur hominis ad Deum dedicatio; similiter etiam in aliis textibus; in Missa Dominicae I Adventus, in Secretis feriae II Pentecostis, in festo SS. Trinitatis etc., praesertim quotidie post Offertorium Missae Romanae in Oratione: « In spiritu humilitatis et in animo contrito *suscipiamur a te,* Domine, et *sic* fiat sacrificium in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus » (4).

Ex tali vero vita signum sequitur *characteristicum* Liturgiae sacrae eiusque insigne, quod est animi aequitas imperturbabilisque tranquillitas.

Alius stimulus bonae educationis, quem offert Liturgia sacra, est conscientia absolutae et omnimodi dependentiae hominis a Deo.

Liturgia enim hominem in omnibus *a Deo dependere* ostendit.

(1) L. Bopp, Liturgische Erziekung. Gegebenes und Aufgegebenes (Freiburg i. B. 1929) 66 s; cfr. A. Hammenstede, Die Liturgie ais Erlebnis (Freiburg i. B. 1919) 10 s; G. Morin, Vom Geiste und von der Zukunft der katholischen Liturgie (Ilochland 25 [1928] 253 ssq.); F. W. Foerster, Religion und Charakterbildung (1925) 185; Pr. Guéranger, Institutions Liturgiques I. 9; II. 55 et saepius.

(2) Unde S. *Leo M.* in Sermone 1 de Nativitate Domini (Brev. Monast. lectio VIII) admonet: « Agamus ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri, per Filium cius in Spiritu Sancto: qui propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri: et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis: et adepti participationem generationis Christi, camis renuntiemus operibus. *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam:* et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. *Memento, cuius capitis et cuius corporis sis membrum.* Reminiscere, quia erutus depotestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. »

(3) Cfr. Ps 88, 1.

(4) Cfr. Introitum Dom. 1 Adventus; Ps 22. 1; 24, 1; 44, 2; 54, 23; 118, 10; 116; 122; 124, etc.

Hoc iam *ex denominatione mere externa* desumi potest. Liturgia ipsa vocatur «opus Dei», «opus divinum», «officium divinum», «servitium sacrum , «laudes Creatoris», «devotio»; ministri sacri vocantur «servi»; ipsa actio liturgica appellatur « servire », etc.; in Regula s. Benedicti haec insuper adduntur verba: « schola dominici servitii », « officium servitutis », « pensum servitutis nostrae », « servitium devotionis uostrae » etc.

Accedunt ipsi *textus* liturgici: in Psalmis et Lectionibus Deus non solum vocatur iterum iterumque *creator* caeli et terrae et universorum, qui eius ambitu continentur, sed minutissime pulcherrimeque narratur, quomodo omnia a Deo sint creata, ab ipso gubernentur et dependeant.

Ita Dominica in Septuagesima et tota hebdomade subséquente, in vigilia Paschae et Pentecostis aliisque non paucis diebus, in Lectionibus et Psalmis Officii divini creatio rerum et hominum legitur, immo quotidie in Psalmo ad Laudes recitatur versus: « Ipse dixit, et facta sunt: Ipse mandavit, et creata sunt » (1).

Ipsi respectivi textus sacri demonstrant, Deum Creatorem in creatione hominis non dixisse unicum quoddam: fiat! sicut in creatione rerum, sed potius eum hominem formasse, plasmasse, in eius faciem spirasse spiraculum vitae, eum secundum imaginem et similitudinem suam formasse, ita ut ex ipsis textibus sacris quasi spontanee, eluceat tota *cura* et diligentia Dei in creatione et formatione hominis (2).

In *Orationibus* deinde liturgicis, praesertim tempore quadragesimal; et in Dominicis et Feriis per annum, ostenditur, hominem a Deo dependere non tantum in toto quod est vel habet, sed etiam in toto quod agit, cogitat, desiderat (3); immo, ipse Deus, sic petitur, debet dare, ut homo petat, et ut recte et recta petat. De cetero clare dicitur, Deum actiones nostras adspirando praevenire, et adiuvando prosequi, ut cuncta nostra oratio et operatio ab ipso semper incipiat et per ipsum coepta perficiatur et finiatur.

Per quae omnia Liturgia non solum semper alta voce clamat Deum esse, sed etiam hominem in omnibus a Deo dependere; unde

(1) Ps 118, 5.

(2) Gen 1 et 2; Ps 118, 73.

(3) Cfr. v. g. Orationes Doni. VII p. Pent.; Doni. II p. Epiph.; Doni. V p. Pascha; homo a Deo dependet in suo *esse:* Dom. VIII p. Pent.; Sabbato p. Pent.; Dom I et XIV p. Pent.: Doni VI p. Pent.; homo *bonus* esse non potest nisi adiuvante Deo: Dom. III p. Pent.; Dom. IX, XVIII et XIX p. Pent.; Dom. II Quadrages.; homo a Deo dependet in suo *a/jere,* quod iam termini saepe occurrentes innuunt, sicut: « tamuli tui ·, · servi tui », « servire » etc. vei termini petitionis: « dirigere », « custodiro » « munias », « da nobis» etc.; Oratio Dom. Sexages.; Dom. IV p. Epiph.; *Deus ipse debet dare,* ut homo petat et quid petat: Dom. infra Oct. Epipli. : Dom. VI p. Epiph.; Dom. IV p. Pascha; Dom. XTI p. Pent. etc.

etiam homini insinuat conditionem quam etiam in privata sua devotione debet obtinere erga Deum a quo omnia petat et exspectet, cui etiam in omnibus gratias agat de obtento adiutorio. Sic ergo Liturgia sacra primario format hominem vere religiosum, qui in omnibus quae agit primo respicit Deum eiusque adiutorium et honorem. Necessitate coactus recurrendi semper ad divinam gratiam, homo fit intime et profunde humilis et modestus, gratus et caritatis operibus studens.

Attamen Liturgia, dum evolvit hominis a Deo dependentiam, non fovet *timorem* servilem, sed potius *filialem*. Nos Dei filios esse, tot nobis dicitur textibus, immo quotidie per ultimum Evangelium S. Joannis in Missa, et praesertim per Dominicam orationem, qua nosmetipsi Patrem' nostrum qui est in coelis, credimus, confitemur et invocamus, ut homo non possit non semper recurrere ad hanc ideam.

Filiis autem decet *filialis reverentia,* quae *est alterum principium,* secundum quod Liturgia sacra hominem ad plenum perfectae personae characterem educare studet. Radix enim omnis verae et bonae eruditionis est honor reverentialis omnibus praestitus. Liturgia vero tum quoad materiam Orationum tum quoad totum Caeremoniale in celebratione divini cultus schola est honestae reverentiae et morum urbanitatis.

Unde ut Deo omnem debitum honorem tribuamus, signis, factis locutionibusque admonemur, et toties verbis et gestis invitamur, ut Deum reverenter adoremus. Minima quaeque *Oratio* incipit cum devota allocutione ad Deum: «Omnipotens sempiterne Deus, qui...», « Deus qui... », « Deus cuius infinitus est theraurus gratiae... » etc. Ipsum *obiectum deprecationis* deinde in forma decenti et tum reverentia profertur; totum autem in fine *concluditur* cum devota invocatione ss. Trinitatis i. e. per doxologiam. Ad quod demonstrandum quaelibet Missalis vel Ritualis Oratio in exemplum afferri potest (1).

Totum deinde *Caeremoniale,* quod moderatur et ordinat omnes motus et actiones Liturgiae sacrae, codex est tenuissimae honestatis, elegantiae morum, politae urbanitatis et nobilitatis, quae non minus abest ab urbanitate mere externa, quam a recente interdum totius formae nobilis defectu; et hoc attente legenti statim patebit. Variae enim salutationes et honores in choro, in Missa et in Officio primo et principaliter Deo praestantur; deinde vero omnibus hominibus (2), et quidem tam corpori, quam animae fidelium, vivis atque defunctis,

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) caput: De Orationibus, praesertim p. 221-228.

(2) Cfr. Rom 12, 10; Regula S. Benedicti c. 72.

ea ex ratione, quia omnes Dei sunt opera, membra Christi, templum Dei sanctum, sanguine Christi redempta, tot tautisque Sacramentis et Sacramentalibus sacrata et vita divina ditata, quia sanctitate vel excellentia et auctoritate Dei participant. Honorifice praesertim tractantur ministri sacri et auctoritates civiles, quia modo speciali repraesentant auctoritatem Dei eamque participant. Per consecrationem Virginum et sanctificationem matrimonii etiam sexui feminili dignitas redditur, quae reverentia etiam augetur per cultum B. M. V. tot tantarumque Sanctarum Virginum, Mulierum, Viduarum, Matrum (1).

Reverenter tractantur in cultu sacro etiam omnes *res* et creaturae, ea ex ratione, quia Dei opera et nuntii sunt, et propriam suam partem et munus habent in mundo supernatural!, sicut patet praesertim ex benedictionibus et consecrationibus, quibus specialiter ad cultum divinum reddendum et ad conferendas gratias ditantur, necnon ox repetita admonitione et invitatione ut omnes creaturae concertent in laudem Dei Summi et Optimi.

Quod vero quotidie in choro, in Officio et Missa auditur, legitur, cantatur, exercetur, fieri non potest, quin etiam in vita practica quotidiana ostendat suum effectum. Unde homo Christianus paulatim addiscet ex consuetudine sua liturgica homines creaturasque caeteras non iam ex hominum, sed magis ex Dei iudicio iudicare, easque considerare non solum prout sunt in se singillatim sumptae, sed prout sunt in ordine ad totum, et ex dispositione divina et sanctificatione per Ecclesiam accepta serviunt ad superi'aturalia, ideoque eas honorare et magni aestimare tenetur. Liturgia duce praesertim instruitur, quomodo in temporalibus videat aeterna, in visibilibus invisibilia, in transeuntibus permanentia, in omnibus mundi factis vel novis inventionibus aeternam Dei cogitationem, pro qua re omnes fere benedictiones Ritualis et Pontificalis exemplo esse possunt; in ipsis respectivis textibus enim optime exponitur sensus rerum et actionum symbolicus (2). Influxus Liturgiae in totam externam quoque compositionem et morum elegantiam facile desumi potest tum ex modo sacerdotis se gerendi, verumtamen etiam ex laicorum, qui frequenter participant divinis mysteriis, modo cogitandi seseque gerendi, ita ut brevi ab aliis dignoscantur.

Liturgia porro fons est, ex quo tuto hauritur *spiritus veritatis et*

(1) Cfr. Ath. Wintersig, Ehe und Jungfriiidiclikeit (Münster i. W. 1926); Id.: Liturgie und Frauenseele, cd. 6 (Freiburg i. B. 1932). 1'H. Oppenheim, Die Consecratio Virginum ais geistcsgescbichtjiclics Problem. Eine Studie z.u ihrein Aufbau, ihrem Wert und Hirer Geschichte (Rom 1943).

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, Introductio in scientiam litmgicam (Taurini-Romae 1949) p. 36-104.

incorruptae sinceritatis. Semper et ubique enim ponit hominem ante conspectum divini Spectatoris, qui abominatur labia dolosa et linguam njiagniloquam, qui scrutatur hominum corda et renes, posthabito omni respectu humano. Quare Liturgia hominem saepius in die inducit ad humilem et serium *examen conscientiae* et veram confessionem et poenitentiam (1), nec unquam ei permittit, ut se iustum indicet, alios vero despiciat, vel, contentus de suis operibus, molli quieti se tradat. Se potius aestimat operarium, quem Deus ad laborandum in vinea sua vocavit, tamquam servum, qui ut fidelis sit, exspectatur.

Liturgia *veras delegere et agnoscere facit relationes* quae vigent *inter Deum et hominem* quasque delinit dogma; ideo etiam de veritate in affectu religioso et in vita religiosa instruere et ad illam educare potest. Politissima autem an® *proponit, quid deceat* creaturae *quidque* homo viator *possit praestare,* quid non.

Veritas de communi omnibus *necessaria gratia* eum novis semper terminis et mutationibus tamquam fundamentum et necessarium requisitum ostenditur, et ita conscientia huius periculum iustitiau pharisaicae diminuit, per quam homo seipsum iustum aestimat, reliquos vero contemnit, promptitudinem vero alios adiuvandi auget; corroborat etiam animos lapsorum ut surgant db lapsu et novam vitam incipiant. Et hoc eo magis, quia Liturgia in lectionibus sat affert exempla hominum, qui ex peccatoribus veri et magni Sancti facti sunt, immo etiam novit conceptum « felicis culpae, quae talem ac tantum promeruit habere Redemptorem ı (2), et quia ipse quotidie misericordiam Dei pro seipso experitur, facilius etiam ad clementiam et misericordiam erga alios inclinatur.

Quia homo videt, *se nihil habere rei posse* a seipso vel in se ipso, sed potius omnia se debere exspectare a Deo, ideo omnis Oratio liturgica, praesertim forma Orationis strictae dictae in Missali, Breviario, Rituali etc., necnon et Psalmi, continent varias formulas *petitionis:* « concede, quaesumus, Domine », « praesta, quaesumus », . tribue », « humiliter », ı supplices deprecamur », « suppliciter poscimus », « retribuere dignare Domine », quaesumus clementiam tuam etc.; simili modo formula petitionis semper redit.

Per hanc suant methodum oratio liturgica hominem ducit ad humilem petitionem gratiae. *In precibus vero reccntioribus haud raro promissiones* vel sponsiones Deo faciendae proponuntur, quae forsitan a petente vel orante vix semper plena veritate et veracitate sentiuntur 'et proferuntur, promissio v. g. peccatum etiam levissimum quodeumque semper et ubique evitandi, mundum totaliter despiciendi illique perfecte abrenuntiandi etc.

(1) Cfr. v. g. « Confiteor » ad Primam et Completorium, ante Missam et Communionem et saepius; cfr. J. Th. Rottei^, Erziehungs ı und Bildungslelire (1852) 26 ssq.

(2) Exultet Sabbato Sancto.

Tales formulae, si saepius repetuntur, praesertim ab hominibus minus religiosis, vel a Christianis simpliciter in mundo degentibus, hominem scrip religiosum iu angustiarum periculum ducunt vel etiam ad pessimam electionem: aut enim graviter et serio tractabit talem orationem, omnique cura et diligentia studebit, actus, qui formulae orationis correspondent, excitaro. Sed tunc mox experietur, se non posse semper, immo forsitan ne saepe quidem, cum plena interna sinceritate illos actus perficere ideoque neque promittere. Multa impedimenta sive exteriora sive interiora executionem promissionis impedire possunt, praesertim impedimenta non praevisa vel fortiora propria virtute. Tunc vero oratio et .promissio, sicut deberet, in conscientia non elevat, sed deprimit, non liberat, sed angustat, non fovet et adiuvat in vita spirituali et in progressu religioso, sed impedit.

Aut homo formidas orationis non serio tractabit., et tunc debilitabit vel etiam ad nihilum rediget valerem istiusinodi actus ethici, immo sinceritatem totius vitae religiosae periclitabit.

Liturgia sacra vero *sponsiones reservat paucis* aliquibus determinatis *occasionibus* et solemnitatibus, ubi revera locum habent vel habere debent: in solemni abrenuntiatione ante baptismum, in professione religiosa, aliisque perpaucis occasionibus. Generatim humili devotione *petit* a Deo, ut ipsius adiutorio fiat, quod praecipit (1). Insuper petit: per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei et mediatorem nostrum, ut propterea facilius exaudiatur.

Oratio liturgica deinde praesertim *affectus simplices et sinceros insinuat,* qui revera plena interna veraeitate semper et ubique dici possunt, quales exprimunt Orationes Missalis vel Breviarii, acclamationes in oratione *«Gloria in excelsis»*. («Laudamus te, benedicimus te, adoramus te... Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, suscipe deprecationem nostram »), vel Invitatorium Matutinorum: « Dominum qui fecit nos ", vel « Regem apostolorum, venite adoremus », versus, antiphonas etc., quae omnia stylum orationis jaculatoriae praeseferunt. Ita magis correspondent naturae humanae, ac proinde semper adhiberi possunt. Cum hominem ducant ad humilem petitionem gratiae divinae, euinque conservent in humilitate animae simul dant etiam fiduciam sperati adiutorii ex parte Dei, qui promisit petentibus se: «Petite, et accipietis!».

Talis modus orationis vero lion creat falsum quendam quietismum, sed, dum homo petit, et confidit de Dei adiutorio, magis promptus est ad correspondendum menti orationis, et ad faciendum quod Deus

(1) Cfr. Orationes Dominicarum post Pentecosten, vel praesertim illain Dominicae XII p. Pent.: ▮ Omnipotens et misericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: tribue, quaesumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus ».

ab eo factum vult, et quod et quantum in se est, quam si promittat et quasi ex sola sua infirmitate omnia facere debeat. Recta ista dispositio animae insuper in fine dat laetitiam de successu, et humilitatem, quae agit gratias. Unde Liturgia non minus educat ad veram *humilitatem,* quae est virtus signanter Christiana, quam ad *gratitudineyi,* quae est conditio liecessario requisita ad veram laetitiam et profxindum cordis gaudium.

Porro omnes homines, praesertim qui aliqua culpa tenentur, generatim duabus rebus indigent easque desiderant, ut proficiant in vita spirituali: ut possint oblivisci, quia condonatum est, quod in praeterito male egerunt, et iit adiuvantibus talibus hominibus, qui ipsorum animum contristatum vel fluctuantem vere corroborare volunt et possunt, vitae suae conversationem emendent et ita contendere queant ad ea, quae praesens et futurum tempus ab ipsis postulant et quae sursum sunt. Necessaria ergo sunt *obiectiva condonatio* et remissio eulpae praeteritae, et *corroboratio* boni zeli et fiduciae in meliorem futuram vitam capessendam. Nunc vero in Liturgia continui fluunt fontes remissionis et propitiationis, regenerationis, restaurationis, reformationis. A primis libris Sacramentariis per omnes libros liturgicos usquenunc tot occurrant termini et petitiones, quae fiduciam inspirare possunt, sicut: renovare, innovare, restituere, reformare, reparare, restaurare, instaurare digneris Domine, regenerare, renasci, vel locutiones adhibentur sicut medicina, medicinalis operatio, medicatio, medela, remedium, mederi, salvare, salvatio, salvus, salus, sanus, sanitas, curare, pietas, misericordia. Deus insuper vocatur « innocentiae restitutor et amator ».

Iain in prima Dominica Adventus et deinde toties infra annum edicitur, eos non confundi, qui sperant in Domino; Introitus Missae in Feria IV Cinerum incipit cum verbis: «Misereris omnium. Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam, et parcens illis »; antiquitus tempus Quadragesimae coepit cum Introitu Dominicae I Quadragesimae: « Invocabit me, et ego exaudiam eum: eripiam eum et glorificabo eum»; ad Primam in feriis Quadragesimae quotidie repetitur Dei promissio: « nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat». Ita innumeri textus infra annum liturgicum, immo hebdomadatim et quotidie dicuntur, quae ostendunt Dei promptitudinem ad misericordiam exercendam et ad condonanda peccata.

Fons baptismalis praesertim et aliquo saltem modo etiam Sacramentum poenitentiae et extremae unctionis sunt origo « novae infantiae in vera innocentia », etc. Ipsi vero termini *rem* ostendunt, quae vere efficitur vel saltem intenditur.

Liturgia porro quam maxime idonea est, quae *eripiat hominem christianum e suis tendentiis et cogitationibus individualisticis et fubiectivisticis* eumque *ducat ad quendam obiectivismum* eumque supernaturalem. Unde ei non tantum textus determinati et fixi proponuntur, — necessarium ergo ei non est, ut diuturne quaerat, quia ex tot diversis libris devotionum eligat, quidque sibi tamquam regulam orandi et vivendi adsumat; ea solummodo oret, teneat, cogitet/ quae ab Ecclesia universali decursu anni liturgiei proponuntur et insinuantur, tamquam via ordinaria salutis —, mens concordet voci (1) —, Christianus cogitur etiam, ut cultum suum in communi, ima cum aliis peragat, et in ipsis formis orationis non in singulari, sed in forma plurali oret i. e. una cum aliis et pro omnibus aliis, necessitates ergo non solum suas, sed et aliorum, immo totius Ecclesiae respiciat.

Ex altera vero parte homo christianus per textus ‘liturgicos *e cura quotidianorum eripitur* et in mundum supernaturaJem ideoque suo naturali altiorem elevatur. Nihil enim est quod magis hominem nobilitet et profundissimum eius desiderium adimpleat, quam id quod Ecclesia quotidie in Officio suo vel in textibus Missalis vel Ritualis edicit. Totum depositum fidei, iam in se hominem vere felic,itans, ibi proponitur, non quidem in forma scientifica, merae cognitionis intellectualis, sed cordis affectu ditatum. Unde aliter nos afficit v. g. mysterium Incarnationis, dogmatice intellectum et propositum in scholis, aliter prout celebratur in Nativitate Domini; aliter mera narratio vel lectio Passionis et Resurrectionis Domini, aliter dramatics eiusdem celebratio hebdomade sancta et tempore Paschali, praesertim in ecclesiis cathedralibus et abbatialibus; aliter nos afficit mysterium s. Eucharistiae, in scholis expositum, aliter in ('oena Domini vel in festo Corporis Christi in singulis ecclesiis omni pompa et iubilo, cum solemn! sua processione celebratum, etc.

Vel aliud exemplum: Totum tempus hodiernum durum et angustum tam sociale quam materiale homines saepe unice fere implicat curis materialibus, ut habeant panem suum quotidianum, vel quaerant quomodo mediantibus repraesentationibus scenicis vel cinematographicis aliisque voluptatibus terrenis ad breve tempus obliviscantur laborem suum et miseriam, ita, ut saepe idea de *Dei* existentia, personalitate et providentia et cum ea fides et fiducia totaque vita christiana evanescant. Ecclesia vero non desinit doctrinam de Deo Creatore et Gubernatore proponere, ut ex hac lectione animus corroboretur et fiduciam hauriat. Textus quoque proponit, qui ex toto idonei sunt, qui *fiduciam* hominis augeant.

(1) Kegula S. Benedicti, c. 19.

\ Ita semel saltem per hebdomadem et saepius per annum in textibus Missa\is vel Ritualis hanc iniungit orationem: « Opera manuum tuarum, Domine, netlespieias » (1). Immo quotidie ad Completorium omni fiducia oratur: « Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos»! Toto tempore Quadragesimali simili fiducia ad omnes horas canonicas recitantur versus ex Psalmo 90, inter quos v. g. hic: « Angelis suis mandavit de te,\it custodiant te in omnibus viis tuis », Permultis aliis locis hominis dignitas ôt Dei circa illum cura et diligentia proponitur.

Alii textus iu memoriam revocant *curam Dei Patris, qui amat nos* (2), qui dicit v. g.: «Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum» (3). « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, Ego tamen non oblviscar tui, dicit Dominus omnipotens » (4). «Ne timeas, ego tecum sum... ego Deus tuus, confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera iusti mei » (5). « Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es ι,υ. Cum transieris per aquas, tecum ero; quia ego Dominus, Deus tuus, Sanctus Israel, Salvator tuus » (fi). Legi debesent sub hoc respectu lectiones ex Isaia, praesertim post Dominicam IV Adventus pulcherrimae. Unde etiam quotidie «praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere; Pater noster» (7), totaque fiducia orare et petere: «et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo». Insuper insinuatur, «si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de caelis dabit spiritum bonum petentibus se? » (8). In tali oratione tiduciali fideles innituntur fundamento omnino securo: In Novo enim Testamento *Christus* ipse est Adiutor et Mediator et Redemptor noster, qui naturam humanam, in qua omnes nos partem habemus, assumpsit, ut sic per Ipsum etiam «consortes» efflcaciamur « naturae divinae » (9). Christus vero passus est et mortuus etiam pro nobis (10), ut nos vitam habeamus, sacramentum quoque instituit baptismi, per quod Ipsi complantemur et membra efficiamur corporis Eius mystici, immo sacramentum altaris eucharisticum instituit, « in

(1) Ps 137, 8; cfr. Officium defunctorum, Commendatio animae, feria IV ad Vesperas (Brev. Mon.) etc.
(2) Cfr. Joh 16, 27.
(3) Ps 102, 13-14; Sabbato ed Matut.
(4) Isai 49, 1.5; Sabbato ˢ Sitientes ˢ Epist.
(5) Isai 41, 10; lectiones feriae II post Dom. IV Adventus.
(6) Isai 43, 1-3; Capitulum ad Vesperas, Laudes et Tertium in festo S. Mauri.
(7) Canon Missae.
(8) Luc 11, 13; Evang. Rogationum.
(9) 2 Petr 1, 4.
(10) Credo Missae.

remissionem peccatorum », in continuam memoriam « novi et aeteriii testamenti » (1), ut viveret in nobis et nobiscum, nosque totos in possessionem sibi acquirerer ac ita nos secum Patri offerret. /

Liturgia, praesertim Romana, non amat sensuum et motionum superlativum, sed magis *affectum coercet.* Tamen politissima arte/perfecit, ut homo in oratione liturgica inveniat interioris suae vitad profundam copiam, quin tamen cogatur, prodere secretum suum./ Haud raro enim oratio liturgica, etiam brevissima, quasi parvum manuale dogmaticum est, cuius *claritas et simplicitas* mundat et elevat tam intellectum quam affectum orantis, et licet induat quandam austeritatem, propter ipsam hanc suam indolem auget gravitatem et virtutem orandi. De cetero vero, quo magis aliquis quotidie utitur formulis liturgicis, eo magis comprehendet, quam artificiose sint compositae, quam clare, profunde, breviterque dogmaticam proponant ideam.

Sic homini Christiano qui meditando textus liturgicos orat, mundus obieetive altior proprio suo et omni humano revelabitur. Mundus enim divinorum mysteriorum est vel magnalia Dei in hominis creatione, electione, redemptione et sanctificatione variis semper coloribus indesinenter proponuntur. Unde gaudium profundum et gratitudo de Dei caritate characteristicum est orationis liturgicae.

Alia lex Liturgiae quae format Christianum in spiritu vere Christiano, haec est: *Omnis pietas habet suum tempus suumque obiectum:* totus cultus in Ecclesia saltem Latina ligatur ad annum liturgicum eiusque festa et ab eis ordinatur. Certa mysteria salutis nostrae suo tempore specialius proponuntur celebranda: tempore Adventus et Nativitatis praeprimis celebratur mysterium Incarnationis, tempore Quadragesimae, et praesertim tempore Passionis, Passio Domini nostraque per illam redemptio, tempore Pentecostes recolitur· praesertim missio et operatio Spiritus Sancti; similiter etiam *diebus festivis* tum in festis Domini tum in festis Sanctorum obiectum cultus omnino determinatur. Juxta mentem Ecclesiae, quae ordinavit cultum cultusque obiecta, ergo est, ut stat utis diebus a fidelibus etiam recolantur, quae specialiter tunc ab Ecclesia coluntur. Illud ergo adagium in praxim deducendum est: sentire cum Ecclesia. Patet vero, non esse iuxta mentem Liturgiae sacrae ac proinde neque iuxta mentem Ecclesiae Liturgiam ordinantis, si v. g. tempore Nativitatis vel Pentecostis specialius recoleretur caput Christi cruentatum vel vulnera in cruce accepta, tempore Passioni* Christi nativitas, in festo Assumptionis B. Mariae V. SS. Cor Jesu, etc.

(1) Cfr. verba consecrationis in Missa.

Liturgia sacra ergo proprias leges habet quoad tempus et obiectum Vultus secundum quas formare intendit fideles, et effectus huius Ecclesiae annualis itinerarii per festa et tempora in anima illud vere viventis vix unquam nimis aestimari et propagari poterit.

\ Aliud iterum insinuatur ex eo, quod Liturgia omnes *alligat ad hiergrchiam vel auctoritatem ecclesiasticam,* quae in omnibus fere functionibus liturgicis manifeste apparet (1). Ministris enim Ecclesiae incumbit officium peragendi sacros ritus; observatio vero debitae reverentiae est unum ex praecipuis principiis, secundum quod Liturgia format christianum.

Confirmatur et augetur auctoritas hierarchiae ecclesiasticae eo quod ipsi ministri sacri Sacramento Ordinis constituuntur; praeterea saepius, praesertim tempore Ordinationum, immo quotidie in canone Missae, pro eis oratur; in ipsa eorum ordinatione Episcopus publice annuntiat et eorum officia et munera et eorum dignitatem et praerogativa.

Liturgia in educando homine in spiritu vere Christiano non oblivisci tur miscere ascesi consolationes, elementa sanctam laetitiam provoc'antia vel profundum idque internum gaudium, ut Christianus libenter Deo serviat: «Hilarem enim datorem diligit Deus » (2). Hinc in psalmis et canticis, in orationibus et praefationibus, in hymnis praesertim et in antiphonis ac responsoriis saepissime ad lactandum et gaudendum admonemur: « Laetamini in Domino, et exsultate, justi », « Exsultate Deo, iubilate Deo adiutori nostro », « Confitemini Domino, quoniam bonus », « Gaudeamus omnes in Domino », « Gaudete, iterum dico : gaudete », etc. ; datur praesertim ratio gaudendi in diviti abundantia misericordiae divinae, in creatione, elevatione perfectione hominis, in opere divini nostri Salvatoris, in communione Sanctorum, in celebratione Missae, in administratione Sacramentorum, etc., ita ut appareat Ecclesiam cum cultu suo velle fideles ducere ad veram laetitiam verumque gaudium.

Quare per totum tempus Quadragesimale fideles exspectare facit, cum gaudio Sancti Spiritus (3), diem Paschae: Quapropter statim ab initio s. Quadragesimae per totum hoc tempus canitur ad Laudes in hymno; « Dies venit, dies tua, in qua redorent omnia! » Introitus Feriae IV Cinerum post benedictionem cinerum, poenitentia facta, incipit cum verbis fiducia plenis: « Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti ».

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Introductio in scient iam liturgicani (Tuurini-Romao 1910) p. 87-90; Id., Sacramentum Ordinis et Sacrae Ordinationes secundum ritum Ecclesiae. Commentationes ad ritum Pontificalis Romani I (Taurini-Romae 1946).

(2? Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Tauriui-Roinau 1911) p 102.

(3) Cfr. Oratio Feria II hebd. mai.; Regula S. Benedicti c. 10; Sermo S. Léonin P. ad Dom. I. Quadr.

Psalmus tempori quadragesimal·' proprius est Psalmus 90: «Qui habitat/ in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cael· commorabitur »; ex quo Psalmo quotidie infra hoc tempus repetitur versus: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vus tuis ». /

Per totum tempus Quadragesimale insuper Ecclesia nos orare facit: « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat» (]). /

Praesertim tempore Adventus Liturgia uberem copiam textuum proponit, qui continent consolationes Dei ad populum suum et ad animam singularem ideoque animam gaudio adimplere possunt. Liturgia naturam humanam non despicit, sed eam elevat, nobilitat, eique inserit supernaturalia (2); affirmat et agnoscit etiam bona temporalia et mundalia, sed eo fine, ut homini inserviant tamquam medium ad Deum perveniendi: « ut sic transeamus per haec temporalia ut non amittamus aeterna » (3). Similiter Liturgia multis aliis ideis ditat vitam Christianorum, ut forti et laeto animo serviant Domino (4).

Porro, ut mitiget omnem austeritatem asceseos, praestat etiam *fontem veri gaudii,* non illum qui brevem tantum voluptatem praebet et ruinas et taedium relinquit, sed illum, ad quem semper licet reverti, quia veritates fundamentales continet· totius vitae Christianae: v. g. ideam quia « filii Dei vocamur et sumus » (5), quia per Christum redempti sumus, et per Ipsum, in Ipso et cum Ipso petentes omnia accipimus, « gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae» (6).

Speciale enim munus in vita spirituali confiditur laetitiae et spirituali gaudio: alit animam, liberat ab omnibus quae sunt de homine inferiore, hominem dilatato corde facit currere viam mandatorum Dei (7).

Ideo tot elementa praestantur, quibus ad internum gaudium excitamur, tempore Adventus, Nativitatis, ideo gaudium paschale, gaudium m passionibus, gaudium S. Martyrum, Virginum, in festo Dedicationis Ecclesiae; in Introitu Missae saepius dicitur « Gaudeamus omnes », « Gaudete », « Laetare », Antiphonae admonent « Exsulta », « Gaude et laetare », « Jubilate Deo » etc.

(1) Antiph. ad Primam tempore Quadr. Brev. Monast.
(2) Cfr. omnes Benedictiones Ritualis Romani.
(3) Oratio Dom. III. p. Pent.
(4) De momento gaudii in Liturgia sacra cfr. Chrysost. Paneoeder, Das ‹reudige in Liturgie (Liturgia. Eine Einfiïhrung in die Liturgie durch Einzeldarstellungen, lisgb. Abtei St. Joseph, Coesfeld i. W. I, 7) (Mainz 1931).
(5) Joh 3, 1.
‹‹») Col 1, 12-13; in festo Christi Regis saepius.
(7) Reg. S. Benedicti, Prologus.

Qui ex Liturgia sacra vere vivit, ubique vestigia huius gaudii inveniet, cuius fontes nobis aperit ipse textus et mysterium quod agitur.

Doctrina moralis quam inculcat Liturgia, utique realitates vitae respicit, lion dissimulat hominum infirmitates et peccata: instruit vero et adducit, « ut a peccatis nostris resurgamus », petit, « ut a vinculis liberemur, quae pro fragilitate nostra contraximus », remanet misericors erga errantes, ut convertantur et vivant, ne pereant; quoties memorat et postulat misericordiam! Deuin suppliciter rogare facit, « ut quod nostra peccata, praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret », imo petitur: ut « etiam rebelles propitius compellat voluntates ».

Qui vertit folia Missalis, iam in prima pagina leget, eos non confundi, qui sperant in Deo; ipsum Deum venturum esso, cum luce et fortitudine, ut nos adiuvet; omnem carnem visuram esse salutare Dei nostri; fidem nos perducturam esse, sicut stella duxit Magos, ad visionem celsitudinis; tempore Quadragesimae deinde legimus verba sicut: « Misereris omnium », « Ipso invocabit me, et ego exaudiam eum », « Nihil deest timentibus eum », « Laetare, Jerusalem, et conventum facite, omnes qui diligitis Dominum: satiemini ab uberibus consolationis vestrae » etc. Quot et quanta obiecta fiduciae ibi proponuntur! Liturgia vocari potest continua admonitio ad fiduciam, ad elevandam animam, continuum « Alleluia » seu « Laudate Dominum », quod canitur diebus bonis et malis. Saepissime admonet: « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius!».

Qui vivit ex spiritu Liturgiae suae, etiam in sermonibus suis et meditationibus, propositis v. g. in exercitiis spiritualibus, in expositione Sacramenti s. Ordinis, Extremae Unctionis, etiam Liturgiae morientium et defunctorum et ordinis exsequiarum non negliget elementa profundi gaudii, quae continent.

Tota enim Liturgia sacra vult praeparare et perducere ad aeterna gaudia, cuius imago et similitudo est omnis solemnitas terrena (1).

Exercitia quae dicuntur spiritualia, paucis diebus homini ostendere volunt omni claritate et gravitate, unde venerit, quo iturus sit, quidque facere debeat, ut cognitum tinem suum omni virtute et fortitudine assequatur. Cum oratione et meditatione connectuntur practicae virtutum exercitationes.

Qui vero in exercitiis suis practico-ascet'cis revera via ordinaria prosequi intendit, illa via progredi debet, quam ostendunt non sohun, sed et postulant, et in qua ducunt Deus et Ecclesia mediante cultu liturgico et ordinatione anni ecclesiastici.

Jam talis brevis expositio ex textibus liturgicis desumpta sat clare demonstrat, quantopere homo Christianus per Liturgiam super proprias suas cogitationes quotidianas materialist icas et mundanas in altiorem considerationem vitae et dignitatis humanae et praesertim

(1) Cfr. J'ANEOEDKK, 1. c.

cognitionis Dei elevetur, ad fiduciam et gratitudinem incitetur, quan-/topere nobilitetur, quam profundo gaudio et pace adimpleri possit/ Per quotidianam enim contemplationem veritatum fidei, quemadmodum per Liturgiam sacram proponuntur, *profundum gaudium* et Solatium haud exiguum capiet, et versando semper in mysteriis divinae caritatis Deum eiusque opera magis in mente habebit, quam propriam suam infirmitatem, et tantam experiendo Dei caritatem, gratus fit et libenter confidit de Dei adiutorio quoad futura. Unde etiam ad capita principaliora vitae Christianae, a Liturgia sacra promotae, pertinet viva conscientia ideae redemptionis, quae singulis diebus toties verbis et factis repetitur.

Liturgia duce perfa ile poterit ipsum, « Christum induere », id est in Christo et in Christum ordinare vitam suam, Eiusque exemplum imitando exprimere et « hoc sentire quod et in Christo Jesu », eique se conformare, ut sic formetur et educetur ad plenitudinem viri perfecti ».

Ut vero valor Liturgiae paedagogicus plenum suum effectum producat, Christiani iam ab infantia in scholis in catechesi et saepius in praedicatione de veritatibus, quae per Liturgiam insinuamur, instruendi sunt, ut etiam sic ad actuosam participationem cultus assuefiant et ex ea « tamquam ex *primo eoque necessario* fonte spiritum vere Christianum hauriant » (1).

Inter veteres paganos multi inveniebantur, praesertim saeculis circiter IV ante Christum natum usque ad saeculum V post Christum, qui *omnes* deos et deas colebant, de quibus audiebant, ad omnes quoque orabant, ne una neglecta ipsi detrimentum vel incomodum fieret. Similiter fere etiam a non paucis christiania ex plenitudine devotionum et elementorum spiritualium, undique oblatorum, quamvis maxime inter se differentium, indiscriminatim obiecta pietatis propriae desumuntur. Propter diversissima exercitia pietatis externa, quae exercent, vel exercere coguntur, — pluribus Confraternitatibus aliisque piis unionibus nomen dederunt, — ad veram internam orationem et implex commercium cum Deo non perveniunt. Alii propter «vestitum deauratum » Liturgiae sacrae ad eius interiorem substantiam et virtutem non perveniunt, quia unice fere adhaerent formae aestheticae exteriori. Foris manent et non intrant in domum Patris. Quibus omnibus proponitur· Liturgia tamquam aliquid organicum quod educare vult ad organicum augmentum et ad harmoniam internam et unitatem: sub forma exteriore praesertim ostendit ea quae sunt essentialia, absolute necessaria, immo aeterna: annua festivitas fit sym-

(i) Pius XI. Const. Apost. · Divini cultus· de die 20. XII. 1928.

bolum aeternitatis anticipatae, in diversissimis orationibus et actio-Aibus perficitur incorporatio et reformatio in Christum, in temporali solemnitate aeterna realitas praefiguratur.

Iam ipse Christus pietatem Christianam tamquam vitam aliquam *organice constitutam* designavit, comparando eam cum viti et palmitibus, dicendo: «Ego sum vitis, et vos palmites » (I).

Totam hanc perpulchram figuram deinde evolutam adaptavit Christianorum vitae, exponendo, quomodo palmites separati a vite vivere non possint. Pluribus aliis comparationibus ex regno plantarum desumptis descripsit deinde regnum Dei, Ecclesiam eiusque evolutionem, necnon suum ipsius regnum, in singulorum animis evolvendum et perficiendum. Loquitur enim de grano sinapis, quod crescit et extendit ramos suos, de grano frumenti, quod in terram cadens moritur, ut sit causa novae vitae in novis granis, porro de fermento, quod totam massam farinae, cui immiscetur, fermentat (2); homines deinde comparat cum arboribus, qui afferunt suum fructum: « Ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat » (3).

Planta autem fructus proferre potest eo, quod non per saltus, sed organice et secundum temporis conditionem crescit atque evolvitur, ex naturali et organico processu vitae. Similiter in pluribus aliis parabolis vel figuris eandem rem proponit, quae res de cetero ex pluribus Psalmis aliisque locis Sacrae Scripturae Veteris Testamenti confirmatur, ubi saepius imago plantae pro hominibus adhibetur. Ita iam ex Christi verbis et parabolis, quae toties in cultu divino leguntur, aliisque verbis Sacrae Scripturae, vita Christiana, etiam liturgica, tamquam *aliquod unum vel organicum* insinuatur, tum in se, tum in fructibus suis.

Si deinde secundum verbum ipsius Christi « *renasci* » debemus in Baptismo (4), si secundum doctrinam S. Joannis «*filii Dei* nominamus et sumus» (5), si data est «potestas *filios* Dei *fieri* his, qui... ex Deo nati sunt » (6) tunc haec aliaque plurima hoc idem innuunt: omnis vita Christiana proindeque etiam liturgica, cui superstruitur, organice crescit et se evolvit et ad unitatem tendit.

S. Paulus porro pluribus locis docens Christianum debere « crescere » ut membrum corporis Christi, « in virum perfectum » (7), supponit et ipse in vita religiosa progressum organicum.

(1) Ioh 15, 5; cfr. ibd. 1-16.
(2) Mattii 13, 4-44; Mare 4. 1-20; Lue 8, 4-15.
(3) Ioh 15, 16.
(4) Joh 3, 3.
(5) 1 Joh 3, 1.
(6) Joh 1, 13-14.
(7) Eph 4, 13-15; cf. 2 Cor 10, 15; Eph 2. 21: Col 1. 10; Coi 2. 19; 1 pUlr 2. 2; 2 Pelr 2, 2; 3, 18 etc.

Doctrina quoque catholica vitam supernaturalem, scilicet gratiam considerat ut. semen, quod nobis committitur quodque evolvi potejst et debet, ita ut singuli Christiani ad invicem distingui possint iuxta maius vel minus (1).

Similiter etiam *textus liturgici* vitam religiosam a Liturgia sàcra intentam et obtentam tamquam aliquid organice ordinatum ostendunt: Sanctos amant comparare cum plantis: cum germine, lilio, rosa, cum palma, cedro etc. (2), Christianos vel homines generatim cum « arbore, plantata super rivos aquarum », cum foeno, quod sicut flos campi efflorescit et cadit, cum balsamo, qui emittit odorem suavitatis, etc.

Ita ergo vita Christiana spiritualis insinuatur ut aliquid organice constitutum, ab una radice proveniens, ab una virtute promotum; quae v:ta spiritualis organica, ita insinuata, in cultu non solum describitur, sed *in cultu communicatur* etiam ipsa virtus, quae vitam spiritualem organice crescere facit. Hinc quotannis rediens *cyclus liturgicus* cum suis testis et sacris temporibus creat ambientem organice crescendi in vita spirituali, sicut cursus temporum anni naturalis facit crescere vitam naturalem; hinc studium omnes et omnia cum *Christo* couiungendi, in quo et quorum praecipue obtinetur unitas in Ecclesia. Quo magis enim aliquis quaerit se unire cum Christo, eo securius crescit in vita spirituali, et quidem organice, secundum leges naturae, eo facilius ei erit, obtinere et servare unitatem etiam eum hominibus. Christus enim est auctor vitae, virtus, lapis angularis, qui facit utraque imum, centrum vitae et cultus (3).

Christus est centrum cultus, centrum quoque totius pietatis liturgicae (4). Solummodo per ipsum aditus est in Ecclesiam eiusque communitatem; ideo imago Christi picta vel insculpta invenitur in summitate portarum aliquarum ecclesiarum periodi artis romanicae. Christus vero cum Ecclesia sua non solum habet nexum historicum quatenus eam instituit., sed ut Summus eius Pontifex in aeternum, ut fons et mediator omnium gratiarum omnisque vitae supernaturalis,

(1) Apud Protestantes vero tota justificatio hominis in eo consistit, quod culpa cooperiatur, nulla ergo ulterior hominis interioris evolutio agnoscitur, et consequenter nulla differentia nullaque distinctio in vita spirituali Christianorum.

(2) Cfr. v g. versiculos: * Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur » toties repetitum; «Iustus germinabit sicut lilium, et florebit in aeternum ante Dominum , (uti v. g. in testo S. Joseph) cfr. etiam lectiones in Vigilia et festo Assumpt. B. M. V., in transitu S. Benedicti (21 Martii) = Eccli 50, 1-11; Ps 1, 3; Jer 17, 7-8 (Ad Noct. III Conf. Pont, et Conf, non Pont. Brev. Mon.), et alia.

(3) Cfr. Cur. Panfoeder, Das Ueberpersônlichc in der Liturgie (Mainz 1928) p. 65-120; I. Herwegen, Vom christlichen Soin und Leben (Berlin 1932).

(4) Cfr. Pn. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 238-251; Id., Christi persona et opus secundum textus Liturgiae Sacrae — Ephemerides Liturgicae 49 (1935) p. 367-383; 50 (1936) 224-242.

continuo influxam suum vivificantem et supernaturalem in eam exercet. Unitas Ecclesiae cum Christo duplex habet fundamentum: in Incarnatione sua Christus sibi totum genus humanum univit, per s. Eucharistiam vero singula membra unit inter se et sibi (1).

Quo magis ergo aliquis quaerit se unire cum Christo, eo facilius ei erit, servare etiam unitatem cum hominibus. Christus ipse hoc docuit: explicando similitudinem de viti et palmite, quae est figura et typus relationis Christi ad Christianos, indicat omnem unitatem palmitum non esse nisi per vitim, ex qua aluntur et in qua conservantur et perficiuntur. Itaque christiani, quamquam unusquisque propriam et personalem suam vitam supernaturalem conservare debet; tamen praeter et super hoc aliquid maius accipiunt, quod ex se solis eflicere nequeunt: omnes uniuntur per Christum in uno eius corpore mystico tamquam eius membra. Hac autem unitate sibi propria Ecclesia essentialiter diflert ab omnibus aliis coetibus religiosis iisque excellit.

Nemo vero *ad unionem cum Christo venit nisi per alios et cum aliis.* Qui a corpore Christi abstinere vellet, etiam cum Capite unionem habere, non posset; qui se separaret a membris Christi, se separaret etiam a Capite. Unde alia lex fundamentalis, secundum quam Liturgia format hominem Christianum, est fides in realem *communionem Sanctorum:* Quod homo singularis praestare non poterit, a communitate totius corporis Christi mystici facilius praestatur, et defectus unius heroica alterius vita et virtute suppletur. De eaetero vero praeprimis Christus pertinet ad hanc communionem fidelium, sicut caput ad corpus suum, ideoque Ipse supplet, quod adhuc deest perfectioni communicatis. Propter quam Christi suppletionem singula membra in Christi corpore mystico, in se saepe indigna, laborantia atque nutantia, quiete ac secure crescere seseque evolvere possunt, quatenus Christi mediatio non parvum stimulum atque consolationem praebere potest pro vita et progressu spirituali uniuscuiusque.

Lex autem fundamentalis in corpore Christi mystico est mutua caritas: alter alteri fit amabilis, quia membrum est in corpore Christi, immo alter Christus. Unde naturalis hominum tendentia ad societatem et ad unionem cum aliis, eorumque naturalis inclinatio alios adiuvandi eisque inserviendi, nova ratione ditatur, et quidem potente, quia supernaturali: Qui enim suscipit infantem in nomine Christi, Christum suscipit; quidquid fratri negaverit, Christo negavit, quod uni ex his minimis fecerit, Christo fecit. « Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi» (2).

(1) l Cor 10, 16-17.
(2) Gal 6, 2.

Alia imio fit per *Sacramenta,* quae sunt signa unitatis non tantum demonstrativa, verum etiam operativa. Fundamentum est S. Baptismus. «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (1). Per Baptismum enim omnes in unum corpus Christi mysticum i. e. in Ecclesiam inseruntur et uno Spiritu vivificantur. « Per ipsum etenim in mio Spiritu omnes nos in unum coquis baptizati sumus » (2). Ritus baptismalis aggregat Catechumenum ad societatem reliquorum Christianorum, ius ei tribuit et officium, Deo, communi omnium Patri, cultum Christianae religionis praestare. In symbolo fidei et in oratione dominica solemnis professio fit communitatis. Catechumenus vel Christianus expressis verbis respondere debet sacerdoti interroganti de fide sua in Communionem sanctorum. Singuli Christiani per Baptismum inter se facti sunt membra (3), sicut membra sunt Christi; ideo dicit Dominus: « Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis» (4). Unusquisque etiam subiective per caritatem fraternam cum Christo unitur. Unus Spiritus Christi omnes simul vivificat, in omnibus operatur, omnes instruit, continet et conservat, tamen diversa dat dona (5). De cetero vero per reliqua Sacramenta praesertim augetur et conservatur unio cmn Christo eiusque membris (6).

Ideo Sacramentum *Confirmationis* tribuit plenum ius civis in communitate Christianorum. S. *Eucharistia* secundum verbum Apostoli (7) et Postcommunionem in dio Pascha vinculum est unionis et concordiae. Sacramentum *Poenitentiae,* praesertim in vetero forma solemnis reconciliationis poenitentium feria V in Coena Domini, necnon et Sacramentum s. *{'notionis* restituunt poenitentes communitati vel augent et perficiunt unionem; Sacramentum *Ordinis,* quod est « causa communis » (8), imponit onus et dignitatem mediatoris pro communitate et custodit, renovat, perficitque semper unitatem fidelium cum Christo et ad invicem. Sacramentum *Matrimonii,* quod sponsis dat unitatem in Christo, secundum naturam suam et finem suum, et anuli symbolum, fundat communitatem familiae, sanctificat amorem naturalem et procurat Ecclesiae liberos. Sic ergo Baptismus fundat communitatem cliristianam, Confirmatio eam confirmat. Matrimonium eam conservat, S. Poenitentia et S. Unctio eam reparant et perficiunt, S. Eucharistia eam alit et nutrit. *Sacrificium* denique *Missae* communis actio et oblatio est totius communitatis: textus ad

(1) Joh 3, 5.
(2) 1 Cor 12, 13.
(3) Cfr. Eph 4, 25.
(1) Mattii 25, 40. Unde pel· charitatcm omnes nos portamus characterem Dei Patris per Christum; cfr. Rom 6, 5; 11, 17-20; Ignatius, Magn. 5.
(5) 1 Cor 12, 12.
((>) Cfr. Pn. Oppenheim, Vom VVesen und sozialen Character der Sacramente (Liturgisches Leben 4 [1937] 189-204).
(7) 1 Cor. 10, 17.
(8) Allocutio iu ordinatione presbyteri, Pontificale Romanum.

Offertorium et in Canone Missae supponunt omnes habere partem in eo (1), S. *Eucharistia,* quae est panis vivus, qui « unum corpus » efficit (2) omnibusque dat vitam aeternam (3), i, e. perfectam omnium communionem, coena est, in qua partem habent omnes, qui adhaerent Christo eique nomen dederunt. Cum Christo per s. Eucharistiam coalescimus; Christus per diversas sacras species non dividitur, sed potius omnes, qui de illo uno pane eucharistico comedunt, colligit in unum corpus sibique modo profundiore unit: eius efficimur corpus. « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem » (secundum textum graecum etiam: «per Patrem»), et qui manducat me, et ipse vivet propter me (graece etiam: «per me») (4). «Unum corpus, omnes qui de uno pane communicamus » (5). Sic perficit S. Eucharistia Sacramentum Baptismi: regeneratio enim in Baptismo non est progressio *ex* Christo, sed potius incorporatio *in* Christum, complantatio cum illo. Unde S. Eucharistia non solum debet conservare vitam supernaturalem eamque confortare, sed profundius in radicem suam reducere, firmius et strictius fonti suo unire (6).

Corinthios admonet Apostolus (7), ne admittant dissensiones et rixas ad sacram synaxim, quae radix et centrum est unitatis, radix et centrum quoque totius vitae Christianae, omnis quoque caritatis socialis.

Hoc in vita veteris Ecclesiae et medii aevi magis apparet quam in hodierna (8): Nullum enim negotium vel officium maioris momenti incipiebatur absque celebratione eucharistica.

Secundum testimonium S. Pauli, Ps.-Barnabae, S. Ignatii Antiocheni, Origenis, aliorumque ex primis Ecclesiae scriptoribus vel S. Patribus, veteres christiani quotidie ad sacram synaxim conveniebant, vel, interdum, saltem ut audirent lectionem et expositionem S. Scripturae. Influxum syuaxis eucharisticae in vitam quotidianam primorum Christianorum hodie vix sufficienter aestimare possumus: per totum diem saepe undique circumdati erant a paganis vel iudaeis, a profanis vel pravis consuetudinibus et colloquiis; plurimi ex illis pertinebant ad classem inferiorem vel pauperiorem populi. Vergente ve-

cti Cfr. Ph. Oppenheim, Missa et Communio (Ephem. Liturg. Ius et praxis 51 [1938) 70-82) id. Conceptus Jiissao qua Sacrificii ex textibus Canonis Missae Rotnanao demonstratur (Ephemerides Llturgicae Ius et praxis 52 [19391 124-131), et quae supra dicta sunt de participatione activa fidelium in Missa.

(2) 1 Cor 10, 17.

(3) Joh 0, 35; 50.

(4) Joh 0, 56 sq.

(5) 1 Cor 10, 17.

(6) J. M. Sciieehen, Mysterien des Christentums (Freiburg i. N. 1898) 428 ssq.; Chr. Panfoedeh, Die Kirche ais liturgischo Gomoinschaft (Mainz 1924) 113-162; id.. Das Ueborpersbnliche in der Liturgie (Mainz 1928) 66-70.

(7) 1 Cor 11, 20 ssq.

(8) Cfr. Chrysost. Panfoeder, Das Ueberpersbnliche in der Liturgie (Liturgia I, 4) (Mainz 1928) 65-120: I. Herwboen, «Vom christlichen Sein und Leben » (Berlin 1932).

spere conveniebant, saepe a dissitis locis, ad conventum Christianum; ibi consortium habebant et partem cum aliis, et rudibus et nobilibus, qui idem sentiebant, volebant, amabant; omnes illuc aequales veniebant: divites et pauperes, nobiliores et inferiores, servi et domini.

In his conventibus liturgicis ostendebatur et evolvebatur tota vita communis Christianorum: charismata manifesta fiebant: glossolalia,sanationes, miracula, daemonum expulsiones, prophetiae, etc. ' In nomine Domini » communiter dicebant orationes. LÎna voce per Christum ad Patrem mittebant Orationes, canebant Hymnos et Responsoria; communiter orabant, offerebant, per verba S. Scripturae instruebantur; omnibus praedicabatur et exponebatur unum atque idem Christi Evangelium; cum fratribus in pace reconciliabantur; osculo fraternae caritatis uniebantur; communiter celebrabatur coena Dominica, agape: unitas et communio inter fideles per Christi corpus et sanguinem in supernaturalem ideoque profundiorem et permanentiorem amorem et caritatem elevabatur; dilatabatur cor ad omnes singulorum et universae Ecclesiae necessitates.

In his conventibus manifeste videbatur etiam tota *Hiérarchie,* ecclesiastica: Episcopi, Presbyteri, Diaconi suum quisque officium peragebant; Virgines et .Monachi, Fideles et Catechumeni necnon publicae auctoritates proprium suum locum obtinebant.

Dives illic oriebatur *vita caritatira-socialis:* sua sponte dabantur munera et oblationes pro pauperibus, viduis, orphanis,pro infirmis, captivis, peregrinis, hospitibus. Haeretici aliique qui non gaudebant communione cum Ecclesia, saltem ad Missam fidelium, i. e. ad celebrationem proprie eucharisticam, non admittebantur; omnes ibi cor unum erant et una anima (1).

Res omnibus communis erat, si solemnis Baptismus administrabatur, si Ordinationes fiebant, si Matrimonium celebrabatur. Socialiter quoque facilius et profundius sibi uniebantur per festa communia, communes orationes, dolores, gaudia, ieiunia, praesertim per participationem unius Corporis et Sanguinis Domini; singula membra communitatis sibi invicem adiumentum erant et confortatio in supportandis doloribus et persecutionibus.

Quae ergo solemnitates liturgicae veram vitam communem fundabant, vivam inter singulos Fideles communionem et unionem foecundabant, occasiones praebebant ad mutuo sibi dandum et accipiendum; centrum erant totius vitae Christianae, unde *relationes spargebantur in omnes conditiones et necessitates vitae practicae quotidianae,* quae relationes apparent — potius amplificatae quam diminutae — usque ad altum medium aevum. Unde in his caetibus eucharisticis abquid omnino novum et mirabile manifestabatur: singuli Christiani communionem et unitatem in intimis cordis visceribus percipiebant cmn omni sua laetitia et robore et virtute. Unusquisque se oblivisci,

(1) Unde Apostolus (1 Cor 11, 20 ssq.) admonet Corinthios, ne ad sacram synaxim admittant rixas vel dissentiones.

ceterosque amare discebat, et sic crescere debebat in spiritu vero christiano: membrum erat in unitate corporis Ecclesiae.

Super hoc fundamentum vero liturgicum exstruitur tota vita practico-religiosa: oriebantur *loca sacra,* destinata ut in illis homo nasceretur pro Ecclesia, ut omnes ibi communiter Deum laudarent, propitiarent, ab eo necessaria peterent: oriebantur circa ecclesias coemeteria, ut ibi communiter quoque requiescerent in pace, atque communem omnium resurrectionem exspectarent. Undo omni arte ornabantur non solum Oratoria et Baptisteria, sed etiam Coemeteria et « Martyria » vel « Memoriae ».

Vetus Basilica cum umeo suo altari et unica cathedra Episcopi, tamquam centrum unitatis, cum presbyterio, in quo locum habebant Presbyteri et Diaconi aliique Clerici, cum loco proprio porro pro schola Cantorum, cum navi pro fidelibus, revera domus patria Christianorum facta est, domus, in qua omnes colligebantur. Apud veteres paganos cella deorum, similiter ac apud iudaeos Sancta Sanctorum, laicis saepe seclusa erat; domus Dei erat, sed clausa hominibus. Soli sacerdoti in eam intrare licuit. Apud Christianos vero tota communitas fidelium in ecclesia coadunabatur et locum habebat, sicut certo quodam modo in cultu mysteriorum, praesertim Mithrae, iam usus factus erat, in quibus omnes initiati, sacerdotes et non-sacerdotes, in eodem loco secundum suum gradum locum suum obtinebant.

Administratio Baptismi postulabat Baptisterium, sepulchruni Martyris secum ferebat Coemeterium cum « Confessione », ubi Martyr in medio reliquorum, qui vita functi erant, requiescebat.

Christus Ecclesiae suae dedit cultum in communitate peragendum (1).

Unitas vero Christianorum, quae objective efficitur per Christum, per Sacramenta et Sacramentalia, per locum et tempus sacrum, totamque vitam Christianam, etiam *subieclive* ab unoquoque per orationem et caritatem ad effectum practicum duci debet et in operibus efficax et viva manens ostendi: unusquisque debet realizare et practicare, quae a textibus liturgicis proponuntur et insinuantur. In oratione enim communi omnes simul orant, simul stant, simul genuflectunt; easdem sequuntur regulas, iisdem utuntur verbis, eadem voce, eodem cantu petunt vel adorant, eadem celebrant festa. Sed etiam amplius: in Christo et per Christum et cum Christo omnis oratio fidelium in unum colligitur et Patri offertur, Orationes Missalis vel Breviarii, quae omnibus fidelibus, et clero et populo, commîmes sunt et ab omnibus aequaliter proferantur, exprimunt etiam necessitates

(1) Cfr. Cuk. Panfoeder, Diu Kirclic ala ilturgischu Uumeiueuhuft (Mainz 1921).

et desideria totius Ecclesiae, et sic dilatant cor orantis, ut et aliorum necessitates tamquam suas proferat.

Pro fratribus et cum illis orat (1): eos quoque diligere debet: ideo antequam venit ad orationem, ignoscit fratri suo (2). Toties repetitur in cultu oratio dominica, eo quoque scopo, ut discat fidelis aliis ignoscere (3). Quotidie quoque per annum ad Capitulum Sextae auditui admonitio Apostoli ad caritatem: «Alter alterius onera portate, et sic adimple bitis legem Christi » (4), ita, ut per orationem et mutuam caritatem communis formetur phalanx contra omnes impetus diaboli, singularisque Christianus securius firmiusque peragat opus sibi injunctum.

Actiones liturgicae, mysteria sacra et orationes communiter peraguntur. Forma pluralis Orationum, Responsoria et cantus, vicissim a ministris et laicis persolvendus, communis recitatio Psalmorum, Orationes: «Orate fratres», «Memento» vivorum atque defunctorum, octies in Missa mutua salutatio « Dominus vobiscum - Et cum spiritu tuo », — exhortatio « Oremus » et responsio « Amen » — osculum pacis, communis cantus hymni *Gloria in excelsis* et symboli fidei *Credo,* lingua uniformis latina et Ecclesia orans in omnibus populis et. nationibus, altare et mensa Domini eucharistica — omnia haec, et multa alia, vincula unitatis inter ministros sacros et populum fidelem, et inter singulos fideles perficiunt. Immo de Missis privatis, quae quam maxime a communi celebratione distare videntur, dicit Concilium Tridentinnm(5): «Etiam illae Missae privatae *tamquam cultus vere communis* considerari debent, tum quia populus spiritualité! in illis partem habet, tum quia a publico ministro Ecclesiae non solum pro illo ipso, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur ». Ideo etiam Sacerdoti absque speciali facultate a S. Sede obtinenda licitum non est, ut Sacrificium Missae solus, absque ministro celebret, qui respondeat, vel saltem simpliciter adsit.

Iam in antiquitate Christiana omnino necessarium esse putabatur, ut fratres ad orationem praesidis in cultu responderent cum acclamatione « Arnen ! (6)

(1) Cfr. Collectas, Offertorium et canoncm Missae, admonitionem: Oremus etc.

(2) Matth 11, 25 sq.; cfr. Mattii 18, 23 ssq, orationes pro caritate et unitate, pro inimicis etc.

(3) Pater noster ; cfr. Regulam S. Benedicti 13: ‹ Plane Agenda matutina vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem oratio dominica, omnibus audientibus, dicatur a priore, propter scandalorum spinas quae oriri solent, ut conventi per ipsius orationis sponsionem qua dicunt: « Dimitte nobis sicut et nos dimittimus ·, purgent se ab hulusmodi vitio ·.

(4) Gal «, 2.

(5) Concilium Tridentinuin, Sessio 22 cap. G.

(6) 1 Cor 11, 16: Cfr. Justinus, Apologia I, 65; 67.

in signum quod earn suain facerent eamque confirmarent. In Liturgia s. Jacobi, S. Joannis Chrysostomi, aliisque liturgiis orientalibus, fideles cum duplici « Amen » ad verba consecratoria a sacerdote prolata respondent, ita partem suam exprimendo etiam in boe momento, aliter soli sacerdoti reservato Recitationem quoque Breviarii, quam Sacerdos forsitan seorsim et privatim persolvit, Ecclesia tamquam orationem communem considerat; ideo minister neque exhortationem « Oremus » neque salutationem « Dominus vobiscum », et responsionem « et cum spiritu tuo » omittere potest, quamvis haec verba plenum sensum habent solum in cultu communi.

Modo ergo proposito per Liturgiam sacram omnes fideles iisdem realitatibus et veritatibus, mysteriis, virtutibus gratiisque in unum coalescunt et cuniungunfur. Quae terrestris communio perficitur per caelestem. Unde fidelis, qui e vita terrestri transit in aeternam, « unitati corporis mystici membrum redemptum inseritur » (I). Dies obitus fit dies natalis ad aeternam communionem, quae ultimam suam perfectionem accipit ex communi resurrectione omnium, ex ultimo iudicio et communi gloria.

Unio vero et communio liturgica fieri non possunt nisi in et ex *unitate fidei* (2). Sicut unus Deus et Pater omnium, ita et unus Baptismus (3), una natura, quae indiget redemptione, unus Salvator omnium, imus Mediator, una sancta Ecclesia, quae omnes sanctificat, amplectitur·, consolatur, una omnibus Scriptura Sacra, una Traditio. Sic ex his thesauris et principiis omnes vivunt, et tota communitas ex eis formatur.

In specie omnibus communia sunt *dogmata 88. Trinitatis,* peccati originalis et redemptionis, quae toties in cultu repetuntur. Dogma SS. Trinitatis mysterium Christianum est simpliciter. In sinu SS. Trinitatis omnia communia sunt: natura, esse, vivere, agere, intelligere, velle, amare sapientia, omnipotentia, misericordia, iustitia, beatitudo etc. Quod mysterium in Liturgia saepius exprimitur, ideoque homines continuo ad SS. Trinitatem adducere debet (4).

Secundum Dei voluntatem deinde omnes homines tam profundo inter seipsos coniuncti sunt, ut culpa protoparentis facta sit culpa totius generis humani. Propter peccatum originale communio inter homines facta est communio peccati. Liturgia sacra vero in id tendit,

(1) Kit. Rom. Commendatio animae; cfr. Praefationem in Missis de *Requiem.*

(2) Cfr. Orationem Feriae V infra Octavam Paschae: « Dens qui diversitatem Pentium in confessione tui nominis adunasti: da ut renatis fonte baptismatis una sit tides mentium et pietas actionum. Per Dominum nostrum ».

(3) « Unus Dominus, ima tides, unum baptisma » Eph 4, 5.

(4) Cfr. signationem cum signo crucis; doxologiam *(Gloria Putri)* aliaque, quae quotidie exprimunt fidem communem in SS. Trinitatem. Pii. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romae li>41) p. 221-255.

ut totam communitatem hominum cum Deo reconciliet, effectus vel consequentias peccati deleat, ex communitate damnatorum faciat communitatem filiorum Dei. Quodlibet Sacramentum, unumquodque Sacrificium, unaquaeque Oratio liturgica hoc demonstrare potest, praesertim vero Sacramentum Baptismi.

Cum mysterio peccati originalis arcte cohaeret mysterium *redemptionis:* Dei Filius culpam totius generis expiat eiusque novum fit caput, «pater luturi saeculi» (1). Ideo eius opus omnes homines credentes in ipsum amplectitur.

Unitas et communio liturgica includit etiam *mysterium vitae et gratiae:* id, quod acquirit vel perdit unum membrum, omnia alia membra participant, et viceversa. Sacramentorum administratio et receptio similiter ostendunt communionem: tam ille qui administrat, quam ille qui recipit Sacramentum, debet esse in unione cum Ecclesia, saltem intentionaliter. Summa poena in Ecclesia est excommunicatio vel interdictum, separatio ergo seu exclusio a participatione communis Ecclesiae cultus.

Quamvis Liturgia sacra quam maximam dicat communionem in bonis, tamen non destruit vel parvipendet limites: vicissim omnes sibi honore praevenire, se aestimare, personalem uniuscuiusque individualitatem respectare coguntur (2). Si Liturgia sic prohibet, ne ultimum secretum animae Deo coniunctae profanetur, et in omnibus exemplum dat sapientissimae discretionis et honoris, hoc non est, nisi ad utilitatem communitatis: ad conservandam et augendam veram communionem.

Unitas, deinde, quae est fundamentum totius cultus Christiani, diversimode obtinetur et manifestatur per ipsum cultum. *In cultu enim coniungimur:*

1) *cum reliquis Christianis.* Per baptismum homo in eorum communitatem et consortium suscipitur (3). Christiani inter se sunt «fratres» — apud S. Paulum haec vox centies trigesies redit,/n cultu liturgico quotidie saltem in lectione brevi ante Completorium, et saepius ad initium Epistolae in Missae dicitur, — non solum ita, sicut se vocabant sodales in variis paganorum cultibus; sed in Christio et per Christum vere filii eiusdem Patris sunt ex adoptionis gratia, et filii Ecclesiae, ex eius utero in fonte baptismali nati, ideoque inter se sunt fratres, qui sunt «unius mentis» ex divina operatione (4). Hoc autem consortium est «cum omnibus orthodoxis atque catholicae et apo-

(1) Cfr. lectionem 1 Nocturni 1 in festo Nativitatis D. N. I. Chr. Isai 9, 6.
(2) Cfr. R. Guardini, Vom Geist der Liturgie (ed. 8-12, Freiburg i. B. 1922) 30-32.
(3) Hit. Rom. tit. VIII. cap. 31.
(4) Oratio Dom. IV p. Pascha; cfr. Othciuni Dedicationis Ecclesiae; Canon Missae etc.

stolicae fidei cultoribus » (1), i. e. cum omnibus Christianis ad Ecclesiam Romanam catholicam pertinentibus, quibuscmn quotidianum Ecclesiae sacrificium offertur.

2) Particularis relatio in cultu percipi potest ad Sacerdotes totamque *hierarchiam* ecclesiasticam. Tum in celebratione Missae, tum in administratione Sacramentorum et Sacramentalium necnon et in oratione Officii Divini continuus est *nexus Sacerdotis cum adstantibus:* minister eos admonet, invitat, salutat, incensat, benedicit, eorum nomine orat, offert, etc. Fideles adstantes respondent per acclamationes, cantant inter lectiones, continuant « Gloria », « Credo », « Sanctus », « Agnus Dei », quae Sacerdos intonat, surgunt, dum incensantur, simul cum ministris sacris surgunt, se vertunt ad altare, in Psalmorum oratione alternantes concinunt vel recitant etc.

Accedit alia ratio: Ipse Sacerdos, «ex hominibus assumptus et *pio hominibus constitutus* » (2), in omnibus suis functionibus liturgicis unitur fidelibus: debet enim « offerre, benedicere, praeesse, praedicare, baptizare » (3), i. e. agere ad bonum aliorum, et quidem non seiunctus ab illis, et privatim, sed in connexu immediato cum fidelibus. Imnw personalis eius *vita moralis* non caret gravi momento pro communitate: «Sit odor vitae vestrae» — ita illis dicitur in allocutione ordinationis (4) — « delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei ». Praeterea ipse Sacerdos cum fidelibus et eorum nomine orat et offert, ut patet ex forma plurali in orationibus; ideo etiam sic unitur cum illis. Praesertim vero per ipsum fideles *uniuntur Deo,* unde speciale vinculum oritur aestimationis et dilectionis: Sacerdos fit pater spiritualis, non solum per omne verbum praedicationis vel privatae exhortationis et consolationis, quod praestat, sed sensu profundiore: per Sacramentorum administrationem, in quibus fidelibus ministerialiter dat, alit vel reddit vitam supernaturalem.

In cultu deinde obtinetur specialis unio cum *Episcopo* vel Ordinario loci, cuius nomen quotidie in canone Missae commemoratur. Episcopus repraesentat unitatem dioeceseos: absque illo in antiquo aevo Christiano nihil fieri potuit (5): ipse baptizat, confirmat, principaliter celebrat S. Eucharistiam, poenitentes absolvit, ordinat sibi cooperatores, consecrat sacra olea, coram ipso initur matrimonium, ipse sermocinatur, praesidet cultui, iudex est in discordiis, pater pau-

(1) Canon Missae.
(2) Rebr 5, 1.
(3) Allocutio in ordinatione Presbyteri, Pontif. Bom.
(4) Ibd.
(δ) Cfr. praesertim epistolas «. Ignatii Antiocheni.

perum, orphanorum, viduarum; ipse omnia ordinat et dirigit: Sacerdos, qui absque eius licentia in civitate erigit altare, olim excommunicabatur et e civitate expellebatur (1). In unaquaque civitate olim una solummodo erat communitas fidelium, sicut unum altare, cui praeerat Episcopus. Quae unitas servabatur etiam tunc, cum propter multitudinem fidelium plures parochiae instituebantur. Ita v. g. Romae saeculo V vigintiquinque *ecclesiae stationales* vel tituli ortae erant; singulis vero ecclesiis ex Sacrificio Summi Pontificis trasmittebantur particulae S. Hostiae, ut cum Sacrificio, quod in ipsis titulis celebrabatur, unirentur, et sic demonstraretur revera unum tantum esse Sacrificium in civitate, quo omnes participabant. Singuli Episcopi etiam *sibi invicem* dabant vel mittebant quae dicuntur eulogias, etiam extra civitates, — S. Augustinus v. g. accepit eulogiam a S. Paulino Nolano, — ut sic unitatem fidei et sacrificii manifestarent. Similiter singuli presbyteri cardinales titulorum Urbis usque ad saeculum XII pro unoquoque Baptismo, solemniter in vigilia Paschae faciendo, ius baptizandi sibi petebant ab Episcopo Urbis, i. e. a Romano Pontifice. Sicut sacerdos, ita, immo sensu altiore, etiam Episcopus pater est fidelium territorii vel regionis suae; unde primis saeculis persaepe simpliciter papas vel papa i. e. pater appellabatur, eique omnia iura pro tota sua dioecesi competunt;, quae parocho competunt in parochia.

Summus custos et defensor imitatis est *Summus Pontifex,* Episcopus Romanus, quocum universa Ecclesia quotidie se unit, offerendo cum ipso et orando pro ipso in Canone Missae, quique semper repraesentat et conservat unitatem Ecclesiae: «L'imité garde l'unité » (Bossuet). Ipse ab omnibus christifidelibus particulari honore, oratione et amore colitur tamquam pater omnium; idee ipsi soli reservatur hodie titulus « papa »; ei summa competit potestas legislativa etiam in cultu, ut alio loco demonstratum est (2); ipse maxima solemnitate etiam celebrat cultum divinum, quotiescumque circumstantiae id postulant.

3) Unitas Ecclesiae porro non tantum respicit vivos in terra, sed etiam *defunctos:* Quotiescumque enim celebratur Sacrificium Missae, oratur in Canone etiam pro defunctis. Similiter ad finem omnium Horarum canonicarum fit oratio commemorativa defunctorum, ut sic semper verbo et opere appareat nostra cum illis unio atque communio. Praeterea a rubricis saepe praecipitur Oratio « Fidelium », recitanda pro omnibus defunctis; celebrantur insuper Missae et Officium

(1) Cfr. Panfoedek, l. c. p. 35.

(2) Pn. Oppenheim, Tractatus do liyje liturgico I. lie legislatoribus liturglcls oorumq 110 potestate luris liturgici dlcundi (Taurini Ronuio 1930) p. 50-98.

pro defunctis, applicantur illis indulgentiae etc., quae omnia ostendunt vinculum unionis, quod innuitur et ad effectum ducitur in cultu divino et per eum.

4) Unitas Ecclesiae denique extenditur etiam ad *Sanctos et Angelos* in caelis. Cum ipsis semper in Missa unimur, « communicantes et memoriam venerantes »; « cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas, Deum deprecamur, supplici confessione dicentes » Angelorum hymnum caelestem « trisagii » (1). Sancti vero nobis terrenis non sunt tantum exemplar, ipsorum precibus et continua intercessione etiam adiuvamur, defendimur, protegimur, muniamur (2). Imo eorum communioni et consortio Christiani post mortem inseruntur, ut deinde per communem resurrectionem cmnium, ultimum commune indicium et communem gloriam imitas Ecclesiae perficiatur.

Unitas ergo sicut Ecclesiae, ita etiam illa a S. Liturgia obtenta, Se extendit super universum orbem terrarum, et cum hominibus terrenis unit defunctos in purgatorio et Sanctos in caelo. Quae Vero communio non est externa tantum, sicut unio aliqua moralis vel simplex iuxtapositio singulorum individuorum, sed est interna, et vere realis, metaphysica; communio quoque in bonis et vita supernatural! (3). Maxime ergo punitur, qui excommunicatur vel propria culpa perdit communionem cum corpore Christi mystico. Quae excommunicatio est sicut abscissio palmitis a vite vel membri a corpore: non ultra potest vivere nec facere fructum, quia a principio vivificante separatur. Insuper talis « Ecclesiam Dei offendit eique satisfacere debet » (J) Poena vero excommunicationis profundius intelligitur, si consideratur quomodo Ecclesia seipsam in Liturgia sacra percipiat, in quibus bonis et per quae media in Ecclesia communio habeatur (5).

Ex natura ergo Ecclesiae erui potest haec eius proprietas: praeprimis in toto orbe terrarum una est. Ideo etiam Liturgia sacra et omnis pietas liturgica characteristicum insigne imitatis vel communionis prae se fert idque obtinere studet. Quomodo vero Liturgia hunc characterem et spiritum unitatis et communionis in fidelibus formet, quomodo illos externe et interne congreget in unum corpus, et ad veram unitateiri animarum adducere velit et valeat, patet ex modo dictis. Vinculum unitivum prae abis est S. Eucharistia, quae secundum

(1) Canon Missae cum Praefatione.

(2) Cfr. Orationes in festis Sanctorum et in Canone Missae, hymnum in festo Sanctorum omnium.

(3) Cfr. I'n. Oppbnhkim, Notiones Liturgiae fundamentales (Taurini-Romao 1911) p. 140 s.; Id., L'Intervento degll Angeli nui uulto I Wphomorldcs Liturgicae 68 (1944) 88-90.

(4) Ordo excommunicationis cfr. Ritum absohitldiils ah excommunicatione. KI·. Item, et Ponllf. Rom.

(A) Cfr. l*ll. OITMNMNiMi !.. 0. p. 133*194.

Secretam in festo Corporis Christi « sub oblatis muneribus mystice » designat « unitatis et pacis dona ».

Ita omnia in cultu divino admonent de unitate fidelium. Fieri vero non potest, quin haec omnia, quia quotidie fiunt et suam virtutem efficacem exercent, paulatim omnes illos forment in spiritu unitatis, qui sibi conscii sunt quid in cultu agant vel agere debeant, ita ut singuli fideles non tantopere remaneant in suis cuique cogitationibus et indigentiis, sed ut potius imbuantur spiritu unitatis et socialitatis cum reliquis hominibus, iis praesertim, qui sunt eiusdem fidei.

Caput II.

Praestantia orationis liturgicae.
Relatio orationis liturgicae ad orationem privatam (1).

Oratio liturgica non est sola adimpletio alicuius officii seu ministerii vel solummodo aliquod servitium, « pensum servitutis nostrae », aliquod onus potius, sicut putant plures auctores antiquiores et recentiores, quam vera animi ad Deum elevatio; immo putant nullam esse relationem inter Liturgiam et pietatem privatam, et sibi opponi orationem liturgicam et privatam.

Contra quas opiniones dicitur

a) ministrum ab Ecclesia primo et principaliter *ordinari* et deputari, *ut vere oret* nomine et persona Ecclesiae, cum Ecclesia et pro ea, ac proinde ad persolvendum divinum officium, cui quotidie per plures horas vacare debet, etiam ex iure et ex obligatione morali seu conscientiae teneri, sicut requiritur ab homine rationali, qui non est solum instrumentum mechanicum (2).

(1; Bibllcgratia: - R. Gvabkini, Vom Geist lier Liturgie (Ecclesia orans 1) Freiburg i. B. 1918); id. Liturgische Bildung l (Rothenfels a. M. 1923) id., in: Die Schildgenosscn 5 (1925) 148; A. Hammenstede, Die Liturgie ale Erlebnis (Ecclesia orans III) (Freiburg i, B. 1919); I. Uerwegen, Alte Quellen neuer Kraft. Gesammelte Aufsfttze 2 cd. (Düsseldorf 1922); Id., Vom christllchen Sein und Lebcn (Berlin 1932); Chrysost. Panioeder, Christus unscr Liturgo (Liturgia, Eine Einführung In die Liturgie (lurch Einzeldarstellungcn l. I) (Mainz 1924); Id., Die Kirehe ais liturgische Gemeinschaft (Liturgia I, 2) Freiburg i. B. 1924); Id, Das UeberpersOnlichc in der Liturgie (Liturgia I. 4) (Mainz 1928); Id., Das Organische in der Liturgie (Liturgia, I. 5) (Mainz 1929); L. Bopp, Liturgische Erziehuug (Freiburg i. B. 1929); V. Michel, The spirit, of the Liturgy (Collegeville 1926) — E. Caronti, Lo spirito della Liturgia; A. Sicard, The soul of the Sacred Liturgy; Ph. Oppenheim, Das Kiinigtum Christi lu dor Liturgie (Muencheu 1931) 50-76; B. Reiser, Wesen und Eigenschaft.cn der Liturgie (Chorwaechter [193(1] 141-143); Callewabt. I. p. 35; J. Ryelandt, L'esprit de la Prière de l'Eglise = Cours et Conférences des Semaines liturg. 9 (1932) 63-77. H. Lang, Liturgik für Laieu (München).

(2) Cfr. L. Beacduix La pif-té de l'Eglise V. Michel, Liturgy the life of the Church (Collegeville 1926) p. 66-69.

b) Praeterea facile eis ostendi potest:

1) orationem litnrgicam esse veram orationem; 2) nexum particularem existere inter orationem litnrgicam et privatam; 3) orationem liturgicam praestare orationi privatae.

A) Nullum dubium esse potest, quin oratio liturgia sit revera oratio proprie dicta (1).

1. Ad quam thesim probandam sufficeret legere attente v. g. singulos versus plurium Psalmorum qui sunt pars principalis Liturgiae laudativae, vel Orationes Missalis vel Ritualis. Ipsi enim Psalmi continent omnes veri cultus actus permixtos: adorationem, laudem, gratiarum actionem, petitionem, propitiationem, ita ut quilibet fidelis orans in eis non tantum facile inveniat aliquam orationem pro omnibus corporis vel animae necessitatibus, verum etiam profundissimas quasque ideas.

Hinc iam in Psalmo invitatorio ad Matutinum « Venite, exsultemus Domino» (Ps. 94) adoratio exprimitur. In Psalmis ad Laudes et Vesperas saepius occurrit laus Dei; in Breviario Romano Laudes feriae V incipiunt cum Ps. 97 « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit », et optima gratiarum actio est pro institutione S. Eucharistiae; petitiones et propitiatio in permultis Psalmis dicuntur.

Sat inveniuntur verae *invocationes,* v. g. « Ad te levavi animam meam », « Adiuva nos, Deus, salutaris noster », « Eripe me, Domine », « Inclina aurem tuam et exaudi me », « Salvum fac servum tuum », « Mittat ei auxilium de sancto» etc.; *gratiarum actiones* et *lau/les,* v. *g.* - Confitemini Domino, quoniam bonus », " Laudate Dominum omnes gentes », « Benedic, anima mea, Dominum », « Dominus regit me, et nihil mihi deerit », « Cantate Domino canticum novum » et alia. Hinc *consolationes in afflictione,* v. g. « Misit de oummo, et accepit me », « Ecce quam bonum et quam iueundum habitare fratres in unum », « Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae », « Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me », « Jacta cogitatum tuum in Dominum, et ipse te enutriet », « Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore tribulationis », etc.

Hinc S. Athanasius optime scribit de libro Psalmorum (2): « Hoc sibi proprium et admirandum habet, quod etiam uniuscuiusque animi motus, eorumque mutationes et castigationes in se descriptas et expressas contineat, ut qui ex ipso voluerit quasi ex imagine eas accipere et intelligere, ita semetipsum efformare possit, ut illic scriptum habetur... edoceatur, quid dictu factuque opus sit ad curandum morbum.

...Existimo namque in huiusce libri verbis omnem humanam vitam, animaeque affectiones, cogitationumque motus contineri atque describi, nihilque iis amplius in hominibus reperiri. Nam sive poenitentia sive confessione sit opus, sive tribulatio aut tentatio apprehenderit, sive quis persecutionem passus,

(1) Cfr. Ph. Oppenheim. Tractatus dc textibus liturgicis (Romae 1945) p. 173-200.
(2) Athanasius, Epistola ad Marcellinum 10 et 30 (PG 27, 19 ssq et 41).

sive ab insidiis liberatus, sive moestus aut turbatus sit, aut aliquid huiusinodi patiatur.... aut si videt se quidem proficere, hostem vero destrui, sive laudare, sive gratias agere, sive Domino benedicere velit, habet horum doctrinam in divinis Psalmis. Licet enim illi in singulis, quod voluerit ex supradictis eligere, et quasi de se dicta essent, ea recitare; ac perinde affectum atque scriptum est, ea ipsa Deo referre ».

Similiter S. Joannes Chrysostomus (I) habet de Psalmis: « Si in tentationes incideres, multam inde referes consolationem ; si in peccata, innumera pharmàca hic reperies; si in paupertatem, si in aeruinniam, multos videbis portus; si iustus fueris, multam cautionem et securitatem inde lucraberis; si peccator fueris, multam consolationem ».

« In Psalmis itaque invenies» ait iterum Aleuinus (2), « si intenta mente perscruteris, et ad spiritualem intellectum perveneris,... tam intimam orationem, si intenta mente perscruteris, quantum non potes per teipsum ullatenus excogitare. In Psalmis invenies intimam confessionem peccatorum tuorum, et integram deprecationem divinae atque Dominicae misericordiae. In Psalmis quoque invenies omnium rerum, quae tibi accidunt, intimam gratiarum actionem. In Psalmis confiteris infirmitatem tuam atque miseriam, et per id ipsum misericordiam Dei ad te provocas. Omnes enim virtutes in Psalmis invenies, si a Deo merueris, ut tibi revelet secreta Psalmorum·».

Hugo a S. Victore (3) in Psalmis invenit affectum dilectionis (v. g. in Ps. 17), admirationis (inPs. 8), humilitatis (inPs. 30), doloris (Ps. 12), timoris (Ps. 6), indignationis (Ps. 51), bonae praesumptionis (Ps. 25), et alia.

Sicut iam in Vetere Testamento Psalmi non tamquam carmina privata, sed ut carmina officialia et communiter in cultu synagogae dicenda adhibiti sunt, ita etiam nunc «Psalmus *vox Ecclesiae est» (i),* indeque ut oratio Ecclesiae qua Ecclesiae percipiendus est. In ipsis universa Ecclesia Deum laudat, ab eo aliquid petit, ei gratias agit, etc. In Psalmis Ecclesia suas cantat exsultationes et gaudia, suos dolores, suas tribulationes, suam spem et fiduciam.

Psalmi enim sunt « *benedictio populi,* Dei laus, *plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae* fidei canora confessio, *auctoritatis plena devotio,* libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio » (5).

« Accedit », dicit Athanasius « quod in Psalmis *mirabilis quaedam vis inesl* ad excitanda in animis omnium studia virtutum» (6).

(1) Joannes CunysoSTOMUs. llomilia 28 in Epistolam a<i Romanos u. 3 (PG 60. 632).

(2) Alcuinus, De Psalmorum usu, praefatio (PL 101. 165 ssq).

(3) Hugo a S. Victore, De modo orandi 7 (PL 176, 985 ssq).

(4) ambrosius, Enarrationes in duodecim Psalmos Davidicos (PL l-l, 921); cfr. Augustinus, Enarratio in Ps 5 n. 1 « Vox Ecclesiae est in hoc Psalmo ■; ibd. in Ps 6 n. 3 · orat Ecclesia in hoc Psalmo »; ibd. in Ps 22 n. 1: · Ecclesia loquitur Christo · et saepius similiter.

(5) Ambrosius, Enarratio in Ps l n. 9.

(6) Athanasius, Epistola ad Marcellinum in interpret. Psalmorum u. 2 (Pg 27).

« Etenim », inquit Pius P. X in Constitutione « Diviuo afflatu » de dio | Novembris anni 1911, qua Ecclesiae Latinae imposuit novam psalterii ordinationem, » quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur! Cui non similes sensus inspirent illae *pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones,* aut *pro exspectatis humiles fidentesque preces,* aut illi *de peccatis clamares poenitentis animaef* Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque coelestis sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet abumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus "vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re" audiebat ! » (I).

Porro nullum dubium esse potest, quin etiam orationes Missalis, Breviarii, Bitualis, aliorumque librorum liturgicorum sint verae orationes. Cuius rei quaelibet oratio exemplo esse potest.

2. Oratio liturgiea insuper diuturno usu sacrata est: innumeri Sancti, Patres, Doctores Ecclesiae, fideles christiani utriusque sexus, sacerdotes, religiosi eis tamquam vera oratione usi sunt, sicut facile ex ipsorum operibus et vitis erui potest.

B) Inter orationem liturgicam et privatam intimus existit nexus: non se excludunt, sed potius invicem se complent; vicissim sibi sunt praeparatio et perfectio (2).

1) Liturgia veram orationem docet et praeparat. Terminus enim omnis verae orationis est unio cum Deo. Ad talem finem obtinendum Liturgia necessarias praebet dispositiones animae, et quidem:

a) **obiective;** locus sacer in quo oratur, ecclesia scilicet vel oratorium, similiter singulae caeremoniae et rubricae, quae ordinant ipsam recitationem communem vel etiam privatam orationis liturgicae, sicut sunt v. *g.* inclinationes ad « Gloria Patri », versiones ad altare, ipsa recitatio modo stando, modo sedendo, modo genuflectendo, variae signationes cum signo crucis, manuum extensiones vel iunctiones, etc.: quae omnia ad puram ac devotam orationem adiuvant;

b) subiective vero per verba et actiones excitantur in anima diversi affectus humilitatis, poenitentiae, spei, amoris, fidei, laudis, confessionis, unionis cum Deo, gratiarum actionis etc. Quod enim os dicit, cor sapit. Et sic vere dispositiones bonae et optimae orationis purae praestantur.

(1) Augustinus, Iu Ps 42 u. 6.

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, Oratio liturgjca et. pietas privata Ephemerides Liturgicae. Jus et praxis (1944).

2. Pietas privata et oratio liturgica invicem se supponunt et complent. Copia enim textuum, quos Liturgia sacra offert, incitat ad pie eos meditandos et saepius per diem repetendos, etiam extra tempus in quo aetualiter proferuntur. Recitatio vero alicuius Versus ex Psalmis, alicuius Antiphonae vel Responsorii, partis alicuius ex Lectionibus etc., sub forma orationis iaculatoriae per diem saepe iterata, quam maxime favet vitae spirituali et spiritus recollection!, praeprimis si homo illis quasi naturaliter utitur et vere in illis orat; idque insuper esse ex intentione Ecclesiae ad dirigendam orationem privatam in viam rectam, nemo est qui serio negare possit, Talis autem modus orandi et meditandi praeparat contemplationem proprie dictam: Spiritu enim fldei ei amore Ecclesiae ductus, homo Christianus seipsum derelinquet. Sub continuo influxo gratiarum, inspirante Spiritu Sancto, et ducente Ecclesia per Liturgiam sacram anima ad id adducetur, ut verum et profundum desiderium habeat, illum videndi, quocum die noctuque dulcia colloquia habet et sponsalitia. Dilatato corde et ineffabili dulcedine dilectionis curret viam mandatorum Dei (1), ita ut quod antea durum videbatur et asperum, nunc dulce et facile aest imet, et sic mox ad illam sublimem unionem cum Deo perveniet, quae in omnibus et super omnia diligit Deum eique conloquitur eoque fruitur, quaeque omnia in terris et in caelis cum Dei oculis considerat et ex eiusdem indicio iudicat; quaeque cum Apostolo dicere potest: «Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (2).

Quia vero textus liturgicus non semper facile et primo visu intelligitur, ideo postulat praeparationem, ut maiore intélligentia et fructu recitetur.

C) Praestantia orationis liturgicae (3) multiplici modo ostendi potest, tum quoad ipsam formam et materiam, tum quoad interiorem valorem textuum et extensionem et intentionem praesertim si spectatur dignitas principalis orantis, finis et fructus Liturgiae, materialis orationum compositio. Oratio liturgica habet praestantiam (4)

a) ex dignitate principalis orantis.

Minister Ecclesiae in oratione liturgica, et praesertim in recitatione breviarii, orat non tantum suo nomine, sed «in persona totius fidelis populi », nomine ergo Ecclesiae, cuius legatum agit apud di-

ti) S. Bknedictuh aiibah, Prologus in Regulum.

(2) Gal 2. 20.

(3) Cfr. PH. OITKNIIHIM, Notiones l,ll urgiae fundamentales (Taurini-Rornae 1911) *p.* 51 · 55; C. Caixewakut. Liturgicae InotltutInnes II. Ile Breviarii Romani Liturgia (cd. 2, Brugls 1939) p. 8-13.

(1) Cfr. 11. Waffbi.akkt, *Oratio in mnont/alioile* prospnodaii Brugls habita 1902, apud: Collationes Brugenses VII, 337 ; C. CAt.tltWABHT. l. e.

vinam maiestatem. Unde principalis orans est ipsa sancta et immaculata Ecclesia catholica, toto orbe terrarum diffusa, quae Deum laudat et deprecatur per os millium et milliiun sacerdotum ac ministrorum, qui quovis momento et loco sunt « omnes perseverantes unanimiter in oratione » eadem, « ut omnes imo ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Jesu»(l).

Oratione sua publica Ecclesia continuo supplet ignaviae multorum hominum et fidelium, qui negligunt vel spernunt officium fundamentale agnoscendi, laudandi, deprecandi Deum.

Ulterius, Ecclesia in terris militans intime coniungitur cum tota Ecclesia triumphante: «cum *Angelis* Dei, quos audire non possumus, laudum verba miscens » (2) et per eorum manus orationes suas Deo offerens (3), cum *Sanctis,* quorum festa « ad nominis Dei gloriam celebrat » (4) et quorum « merita veneratur, ut eorumdem percipiamus suffragia et vestigia prosequamur » (5).

Communicat etiam cum Ecclesia patiente, cum animabus purgantibus, quarum vota commiserans exprimit et pro quibus orat ut « lux perpetua luceat eis » et « per misericordiam Dei requiescant in pace ».

Mirabile exercitium est Communionis Sanctorum in Ecclesia Dei!

Praesertim coniungitur Ecclesia seu « totus populus sanctorum ad unam civitatem pertinentium » (‹›), cum Christo Jesu, tamquam corpus cum capite. Deus enim « Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus Ipsius et plenitudo eius, qui omni» in omnibus adimpletur » (7). Et ita «membra Christi per unitatis charitatem sibi copulantur et per eamdem capiti suo cohaerent, quod est Christus Jesus » (8). Et « quia in membris Christi Christus..., in Christo loquitur Ecclesia et in Ecclesia loquitur Christus, et coipus in Capite, et Caput in corpore » (9). Et quod orationem spectat, «Christus orat pro nobis ut Sacerdos, orat in nobis ut Caput nostrum, oratur a nobis ut Deus » (10).

Quare in orationibus suis, et praecipue in Horis canonicis, Ecclesia orat interdum *cum Ipso et per Ipsum* Mediatorem, quem « advo-

(1) Rom 15, 6.
(2) Cassiodorvs, In psalterium, praefatio; cfr. *Te Deum.*
(3) Cfr. Apoc 8, 4.
(1) Ex praefatione festi S. Joannis Baptistae, ad fontem, in: Sacramentario Leoniano (ed. Feltoe, p. 31).
(5) Ex Oratione festi S. Gulielmi, 25 junii.
(6) S. AvevSTlNUS, Tractat. 21 in Joannom n. 8.
(7) Eph 1. 22 s.
(8) S. AcOUSTixcS, De imitate Ecclesiae I.
(9) Id., Enarratio II in I's 30, sermo 1 n. 4.
(10) Id., In Ps 85, 1.

catum habemus apud Patrem » (1) et qui est « semper vivens ad interpellandum pro nobis » (2), et nobiscum, ut fiat « oratio officii divini quasi iugis et vivificans respiratio totius corporis mystici Christi » (3). Interdum vero, ut sponsa *ips.im Christum Deum* alloquitur, adorat, laudat, deprecatur, ita ut fiat oratio Ecclesiae « quasi amorosa et *sancta conversatio dilectae sponsae cum Sponso divino* » (1).

Oratio liturgica ergo *profertur nomine Christi et Ecclesiae* (5). Quapropter, si ex officio et a ministro deputato profertur, semper Deo grata est. Et quia per Christum ad Patrem mittitur (G), et in unione cum Christo, ideo est oratio ipsius Dei Filii, Redemptoris (7).

Quae veritas in Praefatione Missae v. g. his verbis exprimitur: ' Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere... per Christum Dominum nostrum », et in Canone Missae: ◊ Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus ».

Oratio liturgica praestat deinde

b) ex fine et fructu Officii Divini.

Oratio liturgica, et praesertim Officium Divinum, ex integro spectatum, ordinatur ad quadruplicem finem: latreuticum, eUcharisticum, propitiatorium et impetratorium; prae ceteris tamen dirigitur ad latreuticum, et inde praestat aliis orationibus, quibus nobismetipsis petimus veniam et gratiam (8).

A) Finis omnis creaturae absolute ultimus, adeoque excellentissimus, est gloria Dei extrinseca formalis. Unde primum officium hominis est adorare, laudare Deum eique gratias agere, ut sanctificetur nomen eius, et deinde petere sibi « panem nostrum quotidianum » et omnimoda bona supernaturalia (9). Iam vero oratio breviarii, et generatim omnis oratio liturgica non est tantum « petitio decentium a Deo » seu impetratio, sed « ascensio mentis ad Deum », quae primario et directe ordinatur non tam ad comparanda nobis bona, quam

(1) 1 Joan 2, 1.
(2) Hebr 7, 25.
(3) 0. Ca l Lb w a e r t, De Breviarii Romani Liturgia p. 9 n. 205.
(4) Ibd.
(5) Cfr. M. L. La iia is e, La liturgie est « L'Eglise en prière ▮ (Pio XI) = Cours et Conférences des Semaines liturgiques 14 (1938) p. 47-62.
(6) Cfr. CHB. Pa NFOKUHr, Christus unser Liturge (Mainz 1921': .l. A. Ju n o ma n n, Die Stellung Christ! lui liturgischen Uebet (Münster l. W. 1925).
(7) Cfr. Pu. OPWMUDMM, Notiones Liturgiae fundamentales (Tiuir nl-ltoinao 1941) p. 109-132.
(8) Ibd. p. 81-107.
(Il) Λμ ιικ o η ιγη, Du sacramentis VI, 5 n. 22: · Iiiehonrl début orul lo n Del lande... Halles hoo In oratione Dominies ».

ad Deum adorandum, laudandum, glorifIcandum assidue, ad reddendam Deo gloriam et laudem continuam, ita ut merito vocari soleat, quasi nomine proprie « laus divina ».

Ingredientes enim ad officium quotidianum, invitamur ad *adorationem:* « venite adoremus » et petimus ut « Dominus labia nostra aperiat, ut os nostrum annuntiet laudem suam ». In limine singularum Horarum ponitur solemnis doxologia « *Gloria* Patri et Filio... » et *Alleluia* vel « Laus tibi, Domine, rex aeternae gloriae ». Horae singulae tamquam elemento praecipuo constant Psalmis, qui maxime Deum laudant et benedicunt; et doxologia repetitur in fine quoque ultimi responsorii. Absolvitur tandem hora verbis laudis: *Benedicamus* Domino ».

Post sacrificium Missae, in quo Deus-IIomo seipsum offert immaculatum Deo ad laudem et gloriam Patris, non datur hostia glorificando Deo magis apta quam officium canonicum quo «per Ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius» (1).

Oratio ergo liturgica modo eminenti animatur a spiritu verae religionis: *primo et principaliter quaerit quae Dei sunt* Deoque debentur. Unde primas et nobiliores partes tribuit Supremae Maiestati adorandae, decantat grato animo beneficia divina eaque laudibus extollit, non solum creationem vel gubernationem, sed ei praeprimis mysterium Incarnationis, vitae, « tam beatae passionis necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae ascensionis Domini nostri Jesu Christi » (2), quae mirabilia Dei in oratione privata plerumque negliguntur. Ita oratio liturgica non solum adimplet primum suum et principale debitum et officium, Deum scii, laudandi, sed captat quasi a limine Dei benevolentiam. Unde ubique in cultu praevalent actus admirationis, laudis, adorationis, gratitudinis, complacentiae, gratiarum actionis.

Singularis homo Christianus e contra in oratione sua saepe unice quaerit et petit quae sua sunt: ut tempore passionis et doloris vel tristitiae habeat vel accipiat consolationem, ut praeservetur ad hoc vel ab illo malo imminente, ut liberetur ab hac vel illa pressura; adeo insuper solet sentire se indignum et indigentem, ut generatam ante omnia petat veniam, misericordiam, indulgentiam, gratiam et bona sibi aliisque sibi proxime coniunctis, et insuper unice fere temporalia. Tamen actus prioris generis perfectiores esse sat liquet; nam

1) magis objective ordinantur in finem absolute ultimum, gloriam scilicet Dei extrinsecam, et

(1) Hebr 13, 15.
(2) Canon Missae.

2) procedere solent ex desiderio caritatis purioris et perfectioris, et ideo maioris sunt meriti. Nam « bona oratio, quae ordinem servat, ut primo a divinis inchoemur laudibus » (1).

B) Fructus. Ecclesia etiam directe, sed secundario, quaerit in officio et in orationibus generatim impetrare a Deo omnimoda bona tum temporalis ordinis, tum praesertim aeterni, veniam nempe et gratiam. Cum hi fines obtenti cedant in bonum nostrum, officii *fructus* dici solent.

Oratio liturgica fructum prcdue.it non ex opere operato, sicut Sacramenta, sed tum ex opere operantis Ecclesiae, quae est principalis orans (2), tum ex epere operantis individui ministri (3), inquantum ipse, non ut instrumentum mechanicum Ecclesiae, sed ut organum vivens libere et cum debitis dispositionibus orationes et breviarium recitat.

Fructus *ex opere operantis ministri* pendet a dispositione ministri et eo abundantior erit, quo maior erit actualis devotio orantis. In quantum est meritorius, ipsi soli obvenit, ita ut in alios transferri nequeat; in quantum vero satisfactorius esr. am impetratorius, in bonum aliorum cedi potest (4).

Fructus autem *ex opere operantis Ecclesiae* cedit universim, ex intentione Ecclesiae seu ex fine operis, in bonum Ecclesiae universae seu omnium membrorum, immo aliquatenus totius mundi. Est *fructus generalis.*

Nam, qui recitat officium vel dicit alias preces nomine Ecclesiae, orat pro Ecclesia universa (5), pro omnibus membris Ecclesiae militantis in terris, 'pro omnibus fidelibus defunctis in purgatorio, immo pro conversione eorum, <|ui nondum pertinent ad Ecclesiam.

Secundo, per os ministri orant omnes fideles obicem non habentes eo ipso quod pertinent ad corpus Christi, et, ratione huius participationis habitualis in oratione publica, habent etiam titulum participationis cuiusdam in fructibus orationis publicae breviarii aliarumque orationum (6).

In nonnullis tamen officii partibus Ecclesia specialiter orat pro determinatis membris, v. g. pro infirmis, pro defunctis in officio defunctorum, pro

(1) S. Ambrosius, De institut, virgin. 2; De sacramentis VI, 5, 22.

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgicae fundamentales (Taurini-Romae 1941) p. 151-164.

(3) Ibd. p. 160-184.

(4) C. Callewaert, De Breviarii Romani Liturgia (ed 2, Brugis 1939) p. 10.

(5) Scribit iam S. Cyprianus, De oratione dominica 8: « Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus. Deus... sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes portavit ».

(6) De fidelium habituali participatione in cultu cfr. v. g. Pn. Oppenheim, opue cit. p. 184-212.

sacerdobitue, pro Papa, episcopo, rege, pro populo, etc., sicut in precibus ad Laudes et Vesperas.

Nihil tamen obstat, quominus minister v. g. in Horis canonicis propria intentione sibi proponat *fines quosdam speciales.* Immo auctores omnes de digna breviarii recitatione tractantes hoc instanter commendant, tum ut attentio et devotio recitantis efficaciter foveatur, tum ut orationes aut partes ita uni personae applicatae ei magis prosint quam secus. Utrum autem ita applicentur tantum fructus ex opere operantis ministri, an etiam fructus ex opere operantis Ecclesiae, ad instar fructus specialis in Missa, non satis constat. Multum tamen commendanda est haec agendi ratio.

Oratio liturgica habet etiam efficaciam, in quantum est ex opere operantis Ecclesiae, sibi propriam, independentem a subiectiva dispositione ministri orantis. Haec non oritur proprie ex meritis quidem Ecclesiae, sed ex dignitate eius seu ex eius « graeiositate » apud Deum. Illa enim quam Christus sibi acquisivit sponsam sanctam et immaculatam, semper grata et accepta est Deo, ita ut numquam apud cum repulsam patiatur, etiamsi forte indignus minister sit, qui orationem Ecclesiae Deo deferat (1).

Oratio liturgica offert fructum doctrinalem et asceticum.

Ipsa est veras thesaurus — proh dolor! nuncusque multis absconditus — tam scientiae quam pietatis et perfectionis. Vocatur a quibusdam: compendium Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad orandum Deum (2).

Quot monumenta traditionis pulcherrima vix unquam legerentur nisi in breviario fuissent inserta. Vix ulla est ex praecipuis fidei doctrinis, quae data occasione non exponitur in orationibus, lectionibus, aut antiphonis. Quam vivide Dei attributa et magnalia describuntur (3)! Quam mirabilis elucet divinae gubernationis sapientia in pericopis Sacrae Scripturae et lectionibus historicis, quae summatim exhibent imaginem totius vitae et historiae Ecclesiae. Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis, praerogativae Dei Genitricis, sors defunctorum, et gloria Sanctorum decursu anni ecclesiastici vivide repraesentantur.

Haec scientia dum acquiritur, non sola *fides* exercetur, nutritur et firmatur (4), sed et *gratia* obtinetur et promovetur *sanctitas,* dum docemur ita « sacra mysteria venerari ut redemptionis fructum in nobis iugiter sentiamus » (5), duin oramus «ut sicut Dei cognoscimus

(1) Cfr. Ph. Oppenheim, Ibd. p. 160-164.

(2) Cfr. L. BaCüEZ, Le saint ofllce, p. 157 nota 2.

(3) Cfr. Ph. Oppenheim, Notiones Liturgiae fundamentales p. 222-255.

(4) S. Augustinus, Sermo 115, 1: ▮ Fides fundit orationem: fusa oratio etiam ipsi fidei impetrat tinnitatem ».

(5) Oratio festi Corporis Christi.

veritatem, eam dignis moribus assequamur » (1), et fideles «divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis tuae remedia maiora percipiant » (2).

Et sane « nihil magis quam quotidiana observatio Horarum *spiritum orationis* fovet et perseverantiam orandi significat atque efficit, ita ut merito sacramentum orationis vocari possit divinum officium » (3). Locupletissima in eo praesto est materia non solum exercitii orationis mentalis, sed et piae reflexionis et sanctorum affectuum per diem, ad fovendam intimam *unionem cum Christo et Deo.*

« In quantum enim homo per divinam laudem affectu ascendit ad Deum, in tantum per hoc retrahitur ab iis, quae sunt contra Deum » (4). «Et hoc praecipue est in oratione petendum, ut Deo uniamur» (5). Ipsa oratio liturgica, et praesertim breviarii, quae fit in unione cum Christo Capite nostro, est quotidianum et frequens cum Deo commercium. in eo Ecclesia nobis proponit omnes fere actiones, virtutes, mysteria vitae Christi, meditanda, miranda, gustanda, ut sic provocemur ad amorem Christi ut eius virtutibus indui et affectibus inflammari possimus, ut Ipse in nobis et nos in Ipso vivamus, conformes facti imagini bonitatis eius.

In oratione liturgica discimus *cognoscere et amare Ecclesiam,* facti conscii dignitatis nostrae filiorum et legatorum Ecclesiae universalis; non de nostra sola persona solliciti, sed de omnibus quae corpus Christi undequaque, respiciunt, induimus *sensum vere catholicum* et nihil Christiani a nebis alienum censemus.

Liturgica oratio praestat deinde

c) *ex compositione materiali.*

Officium canonicum, sicut omnis alia oratio liturgica, merito diei potest *Summa orationis.* Constat enim ex iis textibus qui ascensioni mentis ad Deum et animaram sanctificationi aptissime conveniunt; inspirante et ducente Spiritu Sancto, qui Ecclesiae, promissus et missus est, magisterium Ecclesiae ipsam composuit omnibusque tamquam publicam et authenticam orationem proponit. Sagaci enim discretione selecti fuerant ex Sacra Scriptura, et ideo haec verba non siuit verba hominum, sed ipsius Dei, ac proinde eis inest non valor humanus, sed auctoritas et certitudo divina; sunt ergo divinitus inspirata, et maxime ex psalterio; aut sunt ex optimis S. Patrum scriptis, ex Sanctorum

(1) Oratio Dom. VI post Epiphaniam.
(2) Oratio Dom. XXIV post Pentecosten.
(3) D. VVaffki.akut, Oratio, apud: Collationes Bruiteuses VII p. 317.
(4) S. Thomas, Summa theologica II-II, 91,1.
(5) Ibd. 11-11, 87, 1 ad 2.

vitis, ex orationibus et hymnis auctoritate ecclesiastica confectis aut approbatis, qui omnes longo saeculorum usu sunt comprobati; sunt ergo sanctionata per usum non unius hominis vel nationis, unius diei vel anni, aut loci, sed per generationes, per homines omnium regionum orbis, immo usu totius Ecclesiae universalis, cuius spiritus et anima est ipse Spiritus Sanctus, qui ita orat nobiscum, orat etiam in nobis « ineffabilibus gemitibus ».

Certo longe a veritate aberrant, qui ex ignorantia censent haec elementa casu aut libitu absque ordine fuisse disposita. Lento quidem progressu sed sapienti consilio ordinata sunt, ut, delectabili servata varietate, ordine logico vergant in sanctam unitatem quae est in Christo Jesu, per quem accessum habemus ad Patrem. Vere, « quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus Te »! Felix qui hanc dulcedinem absconditam studio et pietate detegere et gustare valeat!

Quod ergo in textibus sacris Liturgiae commendatur, hereditas sancta est et singulis Fidelibus confiditur eo scopo ut induant per ipsum usum indolem ipsius Ecclesiae, nec statim cupidi sint rerum novarum, sed potius firmam fixamque teneant regulam, tot generationibus sancitam. Eadem procedent via, qua tot tantique Sancti et Docti praeierunt et ad sanctitatem feliciter pervenerunt. Ex ratione ergo iam mere externe considerata orationes, verba et actiones liturgicae obtinent principatum tum propter auctoritatem, tum propter vetustatem, tum etiam propter securitatem, notatim vero propter materiam, quam proponunt.

Elementa quibus constat oratio liturgica summatim ad tria reduci possunt: psalmos et cantica, lectiones, orationes. Interseruntur nonnullae formulae breviores acclamationis, admonitionis etc. quibus attentio foveatur et mutua cooperatio omnium diserte exprimitur: *Amen, Alleluia, Deo gratias, Dominus vobiscum, Oremus,* etc. Quodsi autem singularum partium naturam et finem consideremus, quis non videt in his contineri plenum programma sanctitatis sacerdotalis et cibum completum ad alendam vitam sanctam! Psalmi enim principaliter celebrant *laudem* Dei, ita etiam generatim initium Orationum; lectiones ordinantur ad nostram *instructionem spiritualem;* orationibus efflagitatur *gratia divina* tum ad Deum laudandum, tum ad servanda praecepta vitae Christianae; acclamationibus denique et responsis fovetur *caritas* mutua ut obtineatur «cor unum et anima una» in servitio Dei.

d) Sunt denique alia elementa, quae praestantiam orationis liturgicae commendant: est enim publica, officialis, *authentica* oratio, quae proinde magnam securitatem secum fert et sigillum fidei genuinae; et est *communis oratio coelestium et terrestrium,* omnium ergo

Ecclesiae membrorum, quae continua unit coelum et terram (1); et est *indefessa* ad Deum oratio, ut convertat et sanct'ficet animas, ut mundet, muniat, vivificet, liberet fideles, quae oratio denique est *maxime fiduciosa* et *vere filialis,* quae nullo modo dubitat de omnipotentia Dei et de eius misericordia, quam continuo invocat et memoratur, ac proinde secura est de effectu et maximae fiduciae.

Hinc quod forte minus est in oratione hominis singularis, oratione Christi totiusque Ecclesiae vel etiam per devotionem vel dignitatem alterius suppletur, et quod communiter petitur, facilius impetratur.

Sub hoc respectu oratio liturgica de facto repraesentat et praestat veras divitias Ecclesiae: vox est Sponsae Christi, vox officialis, cui Sponsus divinus ipse aperit liberum ad se aditum, permanentem et plane privilegiatum ; cuius vocis potentia Deus omni alia facilius movetur, cui celerius praestat et « accommodat aurem suam » (2). Quam suam orationem officialem, quam Ecclesia in unione cum Christo, divino suo Capite et Sponso, peragit, praestat et offert fidelibus, ut eos adiuvet in orandis et in dicendis Deo ea, quae ex seipsis tam malo dicerent, imino quae tam difficulter invenirent, nec interdum petere auderent, et ad quae impetranda ipsi non sufficerent.

Est oratio ipsius Ecclesiae; Christiani vero sunt eiusdem *Ecclesiae* et *filii et membra.* Hinc ex ima parte partem habent in eadem oratione, saltem virtualein, et gaudere possunt de eius effectu, ex altera parte eorum erit, ut eandem orationem suam faciant eamque praeferant aliis modulis orandi.

Tamquam *filii* Ecclesiae omnes Christiani uti possunt et debent officiali, quam eadem Ecclesia imponit, oratione: id quod suprema in Ecclesia auctoritas repetitis vicibus non tantum suadet, verum etiam desiderat atque exspectat. Oratio liturgica est oratio omnium; quia *membra sunt Christi ct Ecclesiae* et inquantum sunt, eius membra, Liturgia Ecclesiae est simul liturgia seu cultus singulorum, iu qua partem habent. Ex altera parte Liturgia est etiam oratio pro omnibus Ecclesiae membris, et exprimit omnium gratitudinem, laudem, petitionem omniaque, quae singularis homo Deo dicere potest, vel quae eorum utilitatem spectant. Hinc ille spiritus universalitatis et verae

(1) Cfr. sub hoc respectu conclusiones Praefationum in Missa, quibus contenditur nos canere cum Angelis, cumque omni coelesti militia unum idemque canticum; similiter in pluribus hymnis Sanctorum eadem veritas innuitur.

(2) Cfr. C. Marmion, Le Christ idéal du moine p. 398 sq.: « Le Christ s'unissant à l'Eglise lui donne son pouvoir d'adorer et de louer le Père: c'est la liturgie. Celle-ci est la louange de l'Eglise unie à Jésus, appuyée sur Jésus; ou miens, elle est la louange du Christ, Verbe incarné passant par les lèvres de l'Eglise... » « La liturgiç c'est donc la prière de l'Eglise, et c'est ce qui en fait toute la richesse; c'est la voix officielle de l'Epouse du Christ, voix à laquelle l'Epoux ouvre lui-memo un passage permanent et entièrement priviligié, voix dont les accents ont sur Dieu une puissance sans rivale ·.

catholicitatis, qui in textibus liturgicis in omni fere pagina librorum liturgicorum haud raro cum vera admiratione invenitur (1) et qui respicit non minus necessitates singulorum quam id, quod totam Ecclesiam spectat.

Tamquam pia mater, Ecclesia omnem sollicitudinem de compositione, electione et approbatione textuum et actuum adhibuit, ut filiis suis praepararet et adaptaret optimum quemque cibum spiritualem: plurimi ex textibus immediate desumpti sunt ex Sacra Scriptura, alii ex SS. Patribus, ex Doctoribus Ecclesiae, ex usu magnorum Sanctorum, vel Summorum Pontificum, ab illustribus Ecclesiae praesulibus (2). In ipsa compositione et electione textuum Ecclesia gaudet assistentia Spiritus Sancti, ipsius Spiritus sapientiae, de quo Christus Iesus dixit: «Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia» (3). Hinc venit profunda et clara idea dogmatica in Orationibus expressa, et talis copia divitiarum sapientiae et doctrinae in orationibus et praefationibus, praesertim in cyclo temporali Missalis, in hymnis, cum tali poësia et virtute psychologica, quae ex aliquibus harum orationum preces vere mirandas faciunt tum quoad doctrinam dogmaticam, quam exprimunt, tum quoad formam stylisticam (4).

Liturgia sacra deinde non est solummodo una alterave oratio semel dicenda, verum est *arationum quotannis redeuntium cyclus,* quo efficitur transformatio veteris hominis in novum et in « alterum Christum », dummodo homo in omnibus se conformet huic directioni Ecclesiae. Hinc vix unquam pleue intelligetur, cuiusnam momenti pro practica Christianorum vita sit cyclus annualis anni liturgici, haec Ecclesiae orantis et sacrificantis annuale itinerarium per festa et tempora, tam profunde sanctum et sanctificans. Dum enim ipsa Ecclesia Christianos ducit ab Adventu ad S. Pascha, et a S. Pascha usque ad Adventum, non tantum istis diebus successive in memoriam revocat omnia mysteria operis redemptionis Christi historice peracta, verum etiam ea in eis revivere facit, ita ut annus liturgicus habeat speciem Sacramentalis, quatenus, transeundo a festo ad festum, in singulis suis festis et temporibus suscitat, stimulat, portat, sustinet atque ordinat vitam moralem fidelium eorumque studia et labores ipsisque

(1) Cfr. Pu. Oppenheim, op. cit. caput: de Ecclesia tamquam ministra cultus, p. 133-161.

(2) Cfr. Ph. Oppenheim, Introductio in scientiam liturgicam (Taurini-Romae, 1910) caput de fontibus; Id., Tractatus de textibus liturgicis (Romae 1945) p. 54-86. De rationibus ob quas textus liturgici sint electi et coordinati.

(3) Joh 14, 26.

(4) Cfr. v. *g.* Orationem Dom. III post Pent.: « Protector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut, te rectore, te duce, sic transeamus per boua temporalia, ut non amittamus aeterna ».

unoquoque festo gratias speciales affert et offert et in cordibus illam creat dispositionem, quam diligit Deus et qua diligitur Deus. « Nam in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuae sacrerum mysteriorum celebritates, quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta; siquidem haec, in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo... loquuntur; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane eum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum solemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulchritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubcat » (1).

⧫ * *

Parvo ergo pondere sacerdos magna gerit. « Constat » vero, ut ait S. Thomas (2), « quod plus lucratur qui orat et intelligic, quam qui tantum lingua orat ». Quare « David docet ut psallamus intelligenter. Non quaeramus sonitum auris, sed lumen cordis» (3).

(1) Pius XI, Kncyolica «Quas primas* (1925); cfr. B. Capble, La liturgie soutien de la morale (Semaines liturgiques 9 (1932) 107-125) et quae iu altero volumine huius operis de anno liturgico dicentur.

(2) S. Thomas, In epistolas Paulinas, 1 Cor 1-1, 11.

(3) S. Augustinus, In Ps 46, 9.

EPILOG US (1)

Sacra Liturgia est magna Ecclesiae didascalia, qua nun tantum exprimit, propagat, demonstrat defenditque fidem et doctrinam suam, omnibus adhibitis adminiculis adaptatis tum naturae spirituali Ecclesiae tum naturae humanae fidelium, sed etiam proponit scholam vitae christianae et perfectae, excitando mentes ad rerum altissimarum contemplationem, inducendo voluntatem ad practicam exercitationem virtutum, procurando abundanter gratiam pro vita practica necessariam et efformando hominem in spiritu vere christiano Hinc ei competit valor maximus tum didacticus dogmatico-theologicus et moralis-asceticus, tum paedagogicus; hinc facile deducitur praestantia orationis et actionis liturgicae.

Auctoritas Liturgiae in rebus fidei et morum confirmatur tum ex directis testimoniis et effatis magisterii ecclesiastici, tum ex eximia Summorum Pontificum cura de ordinanda et tutanda Liturgia, praesertim Ecclesiae Romanae, matris et magistrae omnium.

Si huius tractatus doctrinae summam uuo complectamur conspectu, quam admirabile est oculis fidei spectaculum cultus liturgici nostri! In quavis unius Sacerdotis oratione percipitur dulcisona *vox ipsius Ecclesiae* universae toto orbe terrarum diffusae, communicantis hinc cum glorioso Sanctorum Angelorumque coetu, illinc vero cum gemente animarum purgantium agmine, nunc susurrantis aut iubilantis amorem suum erga dilectum Sponsum Jesum, tunc una cum Ipso, Capite suo et Sacerdote summo ac universali, accedentis ad thronum Patris, ut ei offerat cultum « in spiritu et veritate » Novo Testamento proprium, atque reddat « gloriam in excelsis Deo et in terra pacem hominibus bonae voluntatis ».

Mystica est *scala Jacob* in terra stans sed coelum attingens cacumine, cui innititur Deus et per quam ascendunt Angeli orationes nostras offerentes Deo, et descendunt divina nobis dona deferentes (2).

(1) C. Ualleaert, Liturgicae Institutiones I, ed. 3 (Brugis 1933) p. 54 s.
(2) Gen 28, 12 ss.

Inexhaustus *canalis,* in monte Calvariae de fontibus Salvatoris hauriens aquas salutis quibus, ministrante Ecclesia, rivulis innumeris irrigat orbem terrarum animasque foecundat.

Diversis inserta gemmis *corona* qua ornatur inaestimabile Missae sacrificium, totius cultus centrum, quo perenniter repraesentatur et renovatur sacrificium illud unicum et vere absolutum quo Christus «oblatione una consummavit in sempiternum sanctificatos » (1).

Imitatio denique et praelibatio divinae Liturgiae quam in coelesti Jerusalem Deo et Agno, stanti tamquam occiso, exhibent quatuor animalia et viginti quatuor seniores, Sacerdotum figurae, et millia millium Angelorum, turba denique illa magna quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et populis et linguis, qui omnes una voce cantant: «Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus omnipotens qui erat et qui est et qui venturus est ». « Sedenti in throno et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. Arnen » (2).

« Ecquid beatius quam in terra concentum Angelorum imitari » (3)? Quare:

« Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere:
Digneris ut te supplices
Laudemus mter coelites » (4).

‹l› Hebr 10, 14.
(2) Apoc eo. 4, 5, 7.
(3) S. Ba s il ic s, Epistula 2, 2.
(4) Hvmuus ad Vesperas Sabbati.

INDEX AUCTORUM

Nota·. 1. Numerus magnus indicat paginam, numerus parvus appositus notam: e. gr. 48s = pag. 48 nota 2.

2. Ubi sola pagina indicatur, notae eiusdem paginae saepe vel eandem vocem vel aliud eiusdem generis opus indicant.

Adam, K. XVIII. 68.
Aigrain, R. XIX0. 4P, 140.
Albrigi, P. 69.
Alicuius 96. 207.
Alexander III PP. 52.
Allatius, L. (Allacci) XV, 125.
Ambrosius (S.) X. 92. 2074. 211®. 213*.
Andrieu, M. 733.
Anselmus (S.). 35*.
Aratus 174.
Arius 59.
Arnaud, A. XV.
Assemani, J. A. XV3. 109. 1241.
Athanasius (S.) 2062. 207.
Augustinus (S.). X. 9". 26. 29. 30. 433. 642. 762. 81'. 92. 93 ss. 110. 135. 1523. 153«. 172. 177. 2074. 208*. 210°. 8-'°. 214'. 2193.

Baguez, L. 2142.
Bainvel, J, V. 325. 332.
Banez 302.
Bannwart, Cl. 53«. 785. 802.
Barin. R. L. XVI. 69.
Basilius (S.). 221.
Batiffol, P. 53.
Baumstark. A. 66*.
Baur, B. XVI*4. 44'.
Beauduin, L. XIX». 22'. 45«. 672. 112. 140. 2052.
Bellarminus, R. (S.) 107.
Benedictus XIII 54.
Benedictus XIV 82. 1173. 131.
Benedictus abbas. (S.) 143'. 166'. 1792. 184*. 1873. 188'. 209«.
Bergier 111.
Bernhardus Claraevall. (S.) 98.
Berthier, J. J. XVI. XVII. 292. 4. 30°. '. 314.
Bissy, II. 60.
Bona. .1. XV. 5'. 573. 58'. 68. 1251.
Bopp, L. 140. 1733. 174°. 1752. 177*. 205'.
Bossuet, G. XV. 814. 109.
Bouix, D. M. XVI. 5*. 2. 6'. 573. 60*. 75'. 83*. 92*. 962. 99«. 123*. 129*. 142*.
Brachiarius 78*.
Brinktrine, J. XVIII. 24*. 27*. 69. 73*. 77*. 92*. 99*. 115*. 1203. 121*.
Brunius (Le Brun) 125*. 127. 129.
Butler, C. 143*.

Cabrol, F. XVI. 69. 782. 140. 155'. °.
Caecilia (S.) 165.
Caelestinus I (S.) X. 62. 77 s. 82.
Caesarius Arelat. (S.) 50.
Caliier, Ch. 382.
Callewaert, C. XVI. XVIII'2. 3*. 92. 17*. 34*. 382. 434. 45*. 752. 764. 77*, 137°. 140. 152*. 155' 205*. 2093. 4. 21 P. 2134. 220*.
Canus, M. 72.
Capelle, B. IX2. 182. 50'. 140. 172. 175*. 219*.
Cappuyns, M. XVII. 672. 773.
Caronti, E. XVI. XVIII*3. XIX». 69. 140. 205*.
Carrière, Fr. XIV.
Casei, O. 433.
Cassiodorus 2102.
Celi, P. 140.
Chastenay, P. 140.
Chollet, A. XIX°.
Clemens IV 52.

Clemens VIII XIII. 54. 56.
Cloquet, L. 38'.
Cocquelines 173.
Coelho, A. XVI. 112.
Compaing, R. 140.
Coustant, P. 47e. 485. 491. '. 50'.
Cyprianus Carthag. (S.) 30. 58. 213·.

Damasus (S.) 47.
Délogé, F. 38'.
Denzinger, H. 53*. 74. 753. 785. 80'. 81s. 90*. 91'. '. 117'. 132*.
Deutsch, A. 69.
Diekamp, Fr. XV.
Dionysius Areop. (Ps.) 155·.
Dorchaeus (Dorsehe) 126.
Duchesne, L. XVI. 50'.
Duns Scotus 106.

Eisenhofer. L. XVI. 69. 116'.
Elipandus 96.
Enlart 382.
Ernst, J. 73'.
Eusebius 7'. 47*. 59'.
Eymieu, A. 36*.

Fabricius, G. 125.
Felix L'rgell. 96.
Feltoe, C. 24·. 210*.
Festugière, M. XVIII3. 41'. 451. 67. 140.
Fontenelle 68.
Forster, Fr. W. 177'.
Franzelin, J. B. XV.

Gasparri, P. 171'.
Gastoue, A. 52'.
Gelasius I (S.) 50.
Gener, J. B. XIV.
Gennadius Massil. 78*.
Gerbert, M. XIV.
Germanus Monachus 134.
Gillet, P. 140.
Grancolas, J. XV.
Gregorius VII (S.) 52.
Gregorius IX 52.
Gregorius XIII 54. 55.
Gregorius Magnus (S.) 50. 89. 150*.
Gregorius Turon. (S.) 127.
Guardini, R. XVIII». 14'. 17·. 38'. 67. 140. 200'. 205*.
Guéranger, Pr. XVII. 25. 61. 69. 81*. 177*.
Guitmondus Aversan. 97s.

Hadrianus I 51.
Hammenstede, A. 140. 177*. 205'.
Hering, H. XVIII. 991.
Hermann, .1. B. 68.
Herwegen, I XIX°. 38'. 69. 140. 150s. 157*. 175*. I923. 1958. 205*.
Hieronymus (S.) 31. 95.
Hilarius Pictav. (S.) 92.
Hildebrand, D. von 140.
Hugo a S. Victore 207.
Hugon, E. 120'.

Ignatius Mart. (S.) 194*.
Innocentius I (S.) XIII*. 48.
Innocentius III. 52. 83.
Irenaeus (S.) 27*. 283. 29. 841.

Jacob, G. 41'.
Janssens, L. XVII.
Johannes XXII 52.
Joh. a. S. Thoma 1531.
Joh. Chrysostomus (S.) 207.
Joh. Damascenus (S.) 61.
Jülicher, A. 64s. 65'. '. *. 66'.
Jungmann, J. A. 24'. 21Γ'.
Justinus Mart. (S.) 198°.

Kirch, C. 493.
Kleanthes 174.
Kohler, Gr. XIV.
Kraus, F. X. 38'.
Kuhn. A. 38'.

Lahaise, L. 67, 211·.
Lambrecht. XV.
Lamy, Th. J. XV.
Landriot, Mons. 38'.
Lanfrancus 97.
Lang, H. 69. 205*.
Languet, episc. 110.
Lapini XVI.
Leander Hisp. (S.) 51.
Lebel 110'.
Lefebvre, G. 68. 69. 136'.
Lehmkuhl, A. 119'.
Leo XIII 57*.
Leo Magnus (S.) 12*. 26. 124. 150. 177'. 1873.
Leo PP. IV XIII. 51.
Leontius Byzant. 59.
Lerosey, A. 38'.
Leslaeus 125*.
Liberius PP. (S.) 47.
Lottin, V. XVIII». 161.
Lucia Mart. (S.) 103.

Maberini, F. XVI.
Mabillon, J. XV. 111.
Mâle. E. 38'.

Malherbe, G. XVII. 34*.
Mansi, D. 48'. *. 49·. *. 50s. ·. 90.
Marcellus PP. (S.) 103.
Marmion, C. XIX0. 43·. 67. 69. 1553. 217*.
Martène, E. XV.
Maugère 5*.
Maurus abbas (S.) 165.
Maximilianus princeps Saxoniae XVI.
Meersch, J. van der 9*.
Meester, Pl. de 1173.
Mercier, card. 45'. 69.
Meyenberg. Λ. XVIII13. 135s.
Michel, V XIX0. 22s. 69. 140. 175·. 205'. '.
Migne 112·*.
Molitor, R. XVII*. 138s.
Mone, Er. .1. 25s.
Montefortino, II. de 106s.
Morin, G. 140. 177'.
Muratori, L. Λ. XV. 243. 123*.

Navatel, J. J. 45'. 140.
Nestorius 59.
Newman, card. 68.
Nicolaus III PP. 52.
Nieuwbarn, M. C. 38'.
Noailles, card, de 111.
Noort, G. van XV.

Oppenheim, Ph. XIII1. XVi. XVIII. 3·. 111. 12'. 13'. 14'. '. 15*. 16'. 17*. 24'. *. 25s. 0.26'. 28s. 35'. 45'. 473. ·. 50'. 513. 511. 58'. 63*. 66'. 68'. 124'. 128'. 135". 136*. 3. 137'. I381-5. '. HO. 145'. 146*. 150s. 156'. 159'. *. 164*. 166s. r. 173'. 174*. 179'. 180'. '. 187'. '. 192*. 194s. 195'. 199*. 202'. 203«. ·. 205'. 206'. 208'. 2093. 211'. ·. 213' ·. 214*. '. 218'. '.
Optatus Milevit. (8.) 59

Panpoeder, Chr. XIX". 140. 150s. 188*. 189'. I923. 195°. ". 197'. 202'. 205*. 211°.
Parsch, P. XVI'*. 44;. 135'. 136'. 140. 174°.
Paulinus Nolanus (S.) 32'.
Paulus IS.) 37. 166. 174. 191. 200.
Paulus IV. 53.
Paulus V 54. 56.
Paulus Saniosat. 7. 59.
Pell 119*.
Perrone, P. XV. 59. 68 1083. 111.
Pesch, Ch. XV. 33·.
Petrus Diaconus 78'. 96.
Pindarus 174.
Pinius, J. 125'. 127. 129.
Pippinus rex 51.
Pius IV XIV.
Pius V (S.) XIII'. 53. 54. 55.
Pius IX XIII1. 19. 32. 73. 82. 85. 86 ss.
Pius X X. XIII1. 45. 54. 63'. 82. 135. 144. 1703. 171. 173'. 208.
Pius XI IX. XIII1. 6'. 17. 18. 20. 46*. 47*. 62. 63. 71. 82. 144. 171. 173'. 190'. 219'.
Pius XII 16. 23.
Plotinus 174.
Portalié 77'.
Procaccianti, M. XVII. 99'.
Prosper Aquit. (S.) 77. 80.

Raimond, J. IX1.
Rebstock, B. 140.
Reck, F. X. 135'.
Reiser, B. 205'.
Remigius Lugd. 96.
Renaudin. P. XVIII. 25*. 28* 22 32'. 593. 69. 84.
Renaudot, E. XV. J08
Ricci, P. XVIIi.
Righetti, M. XVII'.
Robeyns, A. 172s.
Rottels, J. Th. 174°. 181'.
Ryelandt, I. 34'. '. 205'.

Sacre-Coeur, M. J. du 140.
Salimbene, Fr. 52'.
Sauer, J. 38'
Sauter, B. 69.
Scheeben, .1. M. 28' 29'. 32. 85'. 195°.
Schneider, C. M. 100'.
Schoulza, P. XVII.
Schuster, I XVI·*. 441. fj8.
Sesini, U. 52'.
Shaughnessy, P. 97'. ». 98:. '
Sicard, A. 205*.
Sidonius Avern. 127.
Siricius PP. (S.) XIII'. 47 4')
Sixtus IV 74.
Sixtus V 11. 17. 492 62. 76'. 82. 171*.
Sozomenos hist. 59'.
Stapper, R. 69.
Stråter, J. 1383.
Stricker, S. 157'.
Suarez 106.
Sylvester PP. (S.) 47.

Tanqueret, A. XVIII.
Tertullianus 58'.
Thalhofer, V. 11o'.

Theodorus Mopuest. 59.
Thiers, J. B. XV.
Thomas Aquin. (S) 4. 8=. 14«. 32. 66.98 ss. 115=. 155«. 2154. ». 219=.
Tbomasius 24«. 25«.
Tiburtius Mart. (S.) 103.
Trombelli, J. XV.
Tyrell, G. XVII. 9=.

Umberg, J. B. 80*.
Urbanus VIII XIIP. 54. 56.

Valentinus gnost. 58.
Veneroni, P. XVI. 69. 70'.
Vezzosi. A. 126.
Victor I PP. 47.
Victorious, Fab. Mar. 95.
Vieujean, M. 140.
Vigilius PP. 50.
Vigourel, A. XVI, 135=.
Villada, P. 140.
Vincentius Lirin. (S.) 64 s.
Vries, W. de XVIII. 61=. 90=.

Waffelaert, Mons. 209l. 215«.
Walafridus Strabo 27«. 28. 84.
Weber, M. J. XVII. 68.
Wilson, II. 96«. 97*. 151=.
Wintersig, A. 180*.
Wolter, M. 69.

Zaccaria. F. A. XIV. 27. 31*. ». 33l. 47=. 108. 123*. 127.

INDEX RERUM

Adamitae 5.
admonitiones in Liturgia 149.
Adoptiani 52.
Adoptianismus in Liturgia mozarabica 125.
adoratio erucis, valor didacticus 40 s.
adoratio, exercitia in Liturgia 163.
adventus, finis et fructus 44.
Agnosticismus 9.
Altare, praedicatio ascetica 144; -, valor didacticus 38; -, valor theologicus 58.
Anien, significatio liturgica 198 s.
Angelorum praesentia ex Liturgia probatur 102.
Anglicani, mutationes liturgicae 60
annus liturgicus, fructus XVIII12; - - valor asceticus pro vita praefica christ. 218; - -, valor theologicus 17.
annus liturgicus tamquam sacramentale 170.
anthropologia liturgica 138.
apostolatus liturgicus 140.
Aquarii 5.
argumentatio conciliorum ex Liturgia 90 s.
argumentatio dogmatica ex Liturgia, conditiones 114 ss.
argumentatio ex lectionibus liturgicis 103.
argumentatio ex Liturgia idem valet quod argumentatio ex S. Scriptura 95; - modus S. Thomae 98 ss. 105 s.
argumentatio liturgica contra Pelagianos et Semipelagianos 78; - Patrum 92 ss.
argumentatio theologica ex Decretis S. Congregat. 122; - - ex Liturgia 66; - - ex Liturgia aequiparatur argumentationi ex decisione Ecclesiae 81.
— — ex Orationibus Missae 101 ss.
— — ex Orationibus missalis 110.
argumentum liturgicum contra haereticos, efficacitas 108.
argumentum traditionis ex Liturgia 73.
Ariani, confutatio ex Liturgia 23 s.
ars sacra et Liturgia 41.
Ascensio DN, finis et fructus festi 44
ascesis Christiana, conceptus 143; - -, systemata varia 143 ss.
ascesis liturgica temporibus anni liturgici adaptata 154 s.
ascesis, media 146; -, variae formae 146.
assumptio corporalis BMV in caelum 73; - in Liturgia 106; - - ex Liturgia comprobatur 89 s.
auctores de theologia liturgica tractantes XIII ss.
auctoritas Liturgiae 109; - - praestat, aliis testimoniis 111 s.; - - superat auctoritatem S. Patrum 66.
------ doctrinalis confirmatur ex testimoniis 46 ss.
— — Romanae 82 ss. 108.
auctoritates civiles, ratio liturgica reverentiae 180.

Baptismus et Eucharistia 195.
Baptismus ex ritibus illustratus 136 s; -, instructio per ritum 136; -, interrogatio praevia de fide 174.
— per infusionem 119.
beatificatio 52.
benedictio aquae, ratio 169.
— candelarum, ratio 169.
benedictiones, ratio theologica 169.
— valor didacticus 4L
BMV, argumentatio ex Liturgia 109.
— conceptio sancta ex festo probatur 100.
— cultus 5.
— sanctificata ante Nativitatem 106 s.; - probatur ex festo 98. 99.
-- titulus Dei Genitricis negatus ab haereticis 59.

Bulla dogmatica Pii IX 19 s.
------ exemplar argumentationis liturgicae 86.

Caeremoniae sunt pro instructione fidelium 133; - tamquam instructio populi 136.
— valor didacticus 40
— valor theoiogicus 14.
Canon .Missae 50; - - fidei documentum 63; - - non continet errores 53. 91; - - ut locus theologicus 26 s.
canonizatio 52.
cantilenae liturgicae, cura Romani Pontificis de c. 51.
cantus Evangelii, valor didacticus 40.
— gregorianus, praescriptiones X.
— liturgicus, conformis spiritui liturgico 52; -, fovet pietatem populi X.
capita doctrinae catholicae dilucide in Liturgia exprimuntur 13 s.
capitula de gratia 77 s.
caritas exercitata in Liturgia 162.
castigationes et exercitia austeritatis in Liturgia 165.
celebratio Liturgiae in primis IV saeculis 127 s..
cella deorum clausa hominibus 197.
cereus paschalis, doctrina theologica 14; - -, valor didacticus 39.
certitudo theologica in textibus liturgicis, gradus diversi 117.
Christi persona et opus in Liturgia XIII12. 13.
Christologia liturgica XIII12. 13. 24. 92. 110. 138. 192 s.
Christus centrum Liturgiae et vitae Christianae 192 s.
coelestium relatio ad cultum Ecclesiae terrestrem 13.
«olores liturgici, valor didacticus 39.
S. Communio, doctrina liturgica 137.
S. Communio et vita moralis 172*.
Communio infirmorum 121.
Communio Sanctorum et vita liturgica 199 s.
------ in Liturgia 193 ss.
conceptus et cultus Dei in Liturgia 13.
concilia attestantur valorem Liturgiae theologicum 63 s.
Concilium Tridentinum X.
conditiones textus liturgici, ut ex eo fides probari possit 114 ss.
Confirmatio, materia Sacramenti 128.
Confiteor, ratio precandi 181.
consecratio virginum, ideae liturgicae 166.
consecratio mundi ad Immaculatum Cor BMV. 23.
consecratio in Missa, forma 121.
— per contactum 73. 121.
consecrationes, valor didacticus 4L
consensus Ecclesiae orient, et occident. XV2.
consensus Liturgiarum, argumentum firmissimum veritatis 108; - - valor dogmaticus 33.
corroboratio animi in Liturgia 183.
cultus S. Imaginum ex Liturgia comprobatur 90.
cultus liturgicus, unitas 48 s.
cultus Sanctorum XIV; - -, doctrina liturgica 138.
------ in Liturgia 13.
------ liturgicus 104 s.
cura Conciliorum de Liturgia 48.

Damnatio aeterna in Liturgia 102.
declaratio solemnis magisterii ecclesiastici de aliquo textu liturg. 117.
dedicatio ecclesiae, idea ascetica 159.
dedicatio sui in Liturgia 177.
demonstratio theologica ex Rubricis 119; - - ex symbolis 118.
dependentia hominis a Deo in Liturgia 177 s.
devotio erga S. Eucharistiam liturgica 44*.
devotio exercetur in Liturgia 163.
devotiones populares in Liturgia 105.
dies obitus ut dies natalis 199.
differentia inter cultum Dei et Sanctorum ex Liturgia probatur 102.
dignitas Christiana proposita in Liturgia 150.
— feminilis in Liturgia 180.
— humana in Liturgia 158.
dispositio oratorii, valor didacticus 40.
doctrina ascetica Liturgiae omnibus accessibilis 149.
doctrina de novissimis liturgica 138; - sacramentaria in Liturgia 103 s.
— Liturgiae adversa defendi non potest 89.
dogma, e Liturgia illustratum XV.
—, influxus in Liturgiam XVIII.
dogma quodcumque demonstrari potest verum ex Liturgia Romana 82 ss.
dogma trinitarium in Liturgia 24 s. 37*.
dogmata ab haereticis impugnata disertius in Liturgia affirmantur 23 s.
doxologia, usus contra haereticos 23 s.

Ecclesia instruit de tide in Liturgia verbis et caeremoniis 11.
– ius eius tuendi Liturgiam IX.
— non tacet in precibus suis de suis dogmatibus 92.
Ecclesia Romana, magistra veritatis 19; - - veritatis et unitatis centrum 19.
-------tamquam Ecclesia universalis 28 s.
ecclesiologia liturgica 13. 137 s.
educatio et eft'ormatio Christiana individualis per Liturgiam 175 s.
educatio liturgica ad humilitatem 373.
educatio per Liturgiam 140.
efforinatio spiritus vere ehristiani 173 ss.
episcoporum consensus in Liturgia 29s.
error historicus in Liturgia 76.
error liturgicus in secundariis admittitur 128 s; - non potest diu permanere in Liturgia 129.
errores in Liturgiis, ratio 73.
S. Eucharistia, doctrina de S. E. ex Liturgia eruitur 97 s.
—, doctrina liturgica 103 s.
—, dogma ex Liturgia illustratur XV.
—, expositio SS. Sacramenti, doctrina liturgica 41.
—, realis praesentia ex liturgia demonstratur 60. 111.
—, S. Hostia exposita, doctrina theologica 14.
—, vinculum unionis 203 s.
examen conscientiae in Liturgia 181.
excommunicatio, valor liturgicus 200.
exercitia abstinentiae et. Liturgia 161.
— ascetica in Liturgia 163 s; - -, ratio liturgica 166.
— liturgica 140.
— spiritualia et Liturgia 140.
exorcismi antebaptismalcs, argumentum pro peccato originali 90.
-------, sensus 94
exorcismus baptismalis, valor theologicus 81.
exsufflatio in Baptismo, valor theologicus 128; -, valor doctrinalis 81.
Exultet, probatio theologica ex eo 103.

Facta historica Breviarii et Martyrologii in quaestionem vocari possunt 130 s.
- et legendae in Liturgia ad aedificationem proponuntur 131.
vel physice falsa non efficiuntur certa vel vera ex usu liturgico 130.
facta miraculosa in Liturgia 115.
festa BMV, formularia mutata *a .Tan*senistis et Gallicanis 61.
festa, doctrina 14; -, efficacitas 6; -, linis didacticus 22 s.
— liturgica, valor didacticus 39 s.
festum Christi Regis, finis 22; - SS. Cordis .Jesu, finis 22; - SS. Corporis Christi, finis 22.
fidelium in Liturgia participatio 21. -, doctrina de. 13.
fidelium sensus religiosus, valor in Liturgia 31 s.
fides, definitio 3; - ex Liturgia illustrata XVIII; - exercitata in Liturgia 161 s; - in Liturgiaexpressa. 5.
— et doctrina Ecclesiae ex eius Liturgia eruitur 70 ss.
Filioque 25. 59.
formatio Christiana infantis per Liturgiam IXl.
formularia liturgica, obligatio 55 s.
formillationes dogmatice minus rectae in Liturgia 117.
fructus doctrinalis et ascetieus orationis liturgicae 214 s.

Gallicanismus mutat Liturgiam cath. 60 s.
genuflexio, significatio 15; · tamquam fidei expressio 118.
Gloria in excelsis, argumentatio theologica 102; - -, usus contra haereticos 24.
gratiologia liturgica 13. 26. 92 s. 138.

Haeretici mutant, textus liturgicos 58 s.; - nituntur vel impugnare Liturgiam vel eam corrumpere 57 ss.
hierarchia ecclesiastica in cultu liturg. 40; - -, relatio ad fideles 201 s.
historia sacra in Liturgia 158.
homilia liturgica 132 ss.
humilitas, educatio in Liturgia ad hum. 373.
humilitatis exercitia in Liturgia 162 s.
hymni dogmatici contra Donatistas in Liturgia 26.
gnostici in cultu contra doctrinam Ecclesiae 58; - haeretici contra liturgicos 59.
hymni probant Christum esse Deum 92.
hymnus *Ave maris stella,* mutatio tendentiosa 61.

Ideae dominantes in Liturgia 155 ss.
idea divinae providentiae in Liturgia 156.
identificatio mystica in Liturgia 43
Immaculata Conceptio BMV in Liturgia 19 s.
imago Crucifixi, doctrina theologica 14.
Immanentismus 9.
infallibilitas Papae et Concilii oecumenici 115.
inclinationes tamquam fidei expressio 118.
instructio dogmatica Liturgiae 682.
— liturgica, media 88.
— moralis in Liturgia 149; - - per Orationes 150.
— per Liturgiam 132.' 133 s.
— per symbolismum liturgicum 38.
invitatio ad orationem in Liturgia 164 s.

Jansenistae minuunt cultum BMV 61; — mutant Liturgiam catholicam traditionalem 60.
ieiunare, ratio 166 s.
ieiunium, doctrina liturgica 137.
— in Liturgia 164.
indicium, ultimum in Liturgia 156 s.

Lectio quotidiana Evangclii, ratio liturgica 174.
lectiones ecclesiasticae, character 50
— liturgicae, finis et valor theologicus 133 s.
lex supplicandi statuat legem credendi XIX0. 62. 97 ss. 77
Liber Pontificalis 27*.
libri liturgici, additiones et immutationes non diminuunt valorem theologicum 124 s.,- - continent fidem Ecclesiae 9 s; - -, cura Summorum Pontificum de l. 53 s.; - - integri conservandi 56 s. - - usus in rebus dogmaticis 108l. 2; - - valor theologicus 9 s. 28. 55 s.
------ apocryphi, valor theologicus 123 s.
— — interpolati (!), valor theologicus 126 s.
------ mutilati, valor theologicus 126.
------ particulares, valor theologicus 76.
Liturgia adducit ad orationem continuam 209; - allegat ad hierarchiam ecclesiast. 187; - coercet affectus 186; - demonstrat fidem 70 ss; - diminuit individualismum et subiectivismum et ducit ad obiectivismum 184; - docet et inculcat fidem Ecclesiae 11 ss; - et regulas vitae christianae et perfectae 148 ss; - ducit ad humilem petitionem 181; - educat ad spiritum vere Christianum 152; - efformat hominem fiduciosum 184 s; - gratum 183; - simplicem et sincerum 182; - socialem 193 ss. 198 ss.
— evocat ad ascesim verbo et usu 163 s.; - excitat et praeparat ad meditationem et contemplationem 152 s.; · exprimit fidem 3 ss; - - relativae ecclesiae 109; - format in spiritu vere christiano X.
— impugnat iudaizantes 23; - in formando christiano utitur adminiculis exterioribus 37 s; - innititur fidei 4. 9.
— laetum reddit hominem 187; - ostendit necessitatem recurrendi semper ad divinam gratiam 1452; - praesupponit fidem 4. 8 s.; - procurat gratiam 145; - proponit ex emplar vitae christianae et perfectae 151 ss.
— veram orationem docet et praeparat 208 s.
Liturgia catholica fidei magistra XVII2.
— contra Arianos 23 s.
—, definitio 3.
— ditissimum traditionis depositum 74.
—I educatrix ad voracitatem et ad spiritum veritatis 180 s.
— est didascalia Ecclesiae XVII. 8. 140; - dogma in praxim versum 68; - locus theologicus praestans 72 ss.
Liturgia est practicuin exercitium virtutis religionis 148; - publica fidei professio 95; - vox officialis Ecclesiae 67.
Liturgia et ascesis 147.
— et bona temporalia 188.
— et dogma XVIII; - necessitudo inter Liturgiam et dogma 62 s.
— et exercitia practica asceseos 161 ss.
— et exercitia spiritualia 189.
— et fides IX s. 8 ss; - nexus necessarius 4 ss.
— et gratia obtinenda 168.
— et instructio dogmatica 68.

— Liturgia et moralis 140.
— et mystica 159 s.
et praedicatio 132 ss.
— et promissiones 181.
— et sanctificatio populi IX s.
— et varia systemata asceseos 146.
— et vita ascetica 145 s.
— et vita Christiana XIX0.
— et vita practica 153.
— et vita Christiana socialis 196 s.
Liturgia fons sanctitatis et gratiae 141 s.
Liturgia, fundamentum dogmaticum 68.
— instrumentum contra haereses 11 ; - contra haereticos 23 s.
— instrumentum in usus haereticorum 7.
— instrumentum praecipuum diffundendae doctrinae christianae 133 s.
— instrumentum principale magisterii ordinarii ecclesiasticae in transmittenda fide 18.
— instrumentum principale traditionis 109 s.
— inter locos theologicos computanda XV. XVI. XVII.
— magistra fidei, spei et caritatis 161 s; - libertatis animi 176.
—, munus 67.
Liturgia necessarium fundamentum omnis verae educationis christianae 174.
— non creat dogma 9.
— praepotens instrumentum propagandae fidei 6.
— principale documentum traditionis 74 ss.
Liturgia quatenus est regula fidei remota vel proxima 73.
— quid sit XI.
— schola morum urbanitatis 179 s.
— singula elementa XIV.
— superioritas dogmatica XVI2.
— tamquam catechesis Christiana 149.
— tamquam constans et unanimis professio fidei 110.
— tamquam fidei professio 27.
— tamquam instrumentum sanctificationis 141 ss.
— tamquam materia meditationis 44 e.
testimonium contra Armenos 31.
Liturgia ubique uniformis est lex credendi SI.
Liturgia ut depositum fidei 65; - ut locus theologicus 66; - ut rnysteriorum celebratio 42 s; - ut systema asceticum 146.
— valor dogmaticus XV ss; - paedagogicus 173 ss; - theologicus XVI1. 17 s.; - unitivus 193 ss. 200 ss; - valor ut praecipuae Ecclesiae catholicae traditionis 64 s.
— vera natura et conditio IX.
— via ordinaria transmittendae fidei 34 s.
Liturgia gallicana XV''; - mozarabica suppressa propter errores Adoptianismi 52; - Romana, praestantia 27 s; - Romana est universalis 115 s;- Romana vetus XV.
Liturgiae ab haereticis vitiatae, valor 125 s.
Liturgiae Orientales XV12.
liturgica efformatio hominis procedit non per saltus, sed organice secundum leges naturae 191 ss.
Liturgismus exageraturs 140.
locus theologicus, quis 72.
Luciferiani ex Liturgia confunduntur 31.

Manichaei confutantur ex Liturgia 26 s.
Maria nella Liturgia XVIII'2.
Mariologia liturgica 13. 138.
martyrium 103.
mediatio Christi universalis in Liturgia 13. 138.
meditatio de re liturgica 135*. 140.
meditatio liturgica XVI''.
meditatio liturgica non est sterilis 153.
-------praestantia 152 s.
methodus instructionis liturgicae 34 ss.
methodus instructionis moralis liturgica 151 s.
methodus Liturgiae didactica 22.
— qua Liturgia excitat ad meditationem 152 s.
miracula Sanctorum in Liturgia 115.
Missa catechumenorum est catechismus fidei 133.
Missa celebrata in sola aqua 5; -, conceptus ex Canone Missae derivatus 195'; -, doctrina liturgica 137.
Missa et Communio 195'.
— et vita Christiana, nexus 143 ss.
—, fines et fructus ex Orationibus liturgicis illustrati XVIII12.
—, finis 144°.
— quotidianum sacrificium Ecclesiae universalis 58°.

Missa tamquam exsecutio mandati Christi 120.
Missale Meldense, tendentiae acatholicae 61.
Missale Romanum notis illustratum XVI*4.
Modernistae 9.
modus propagandi fidem per Liturgiam 19 s.
musica sacra conformis spiritui liturgico 52; - - praescriptiones X.
mysterium communionis Sanctorum in Liturgia 13; - Incarnationis 13; - peccati in societate Christiana 199 s.; - Redemptionis in Liturgia 13; - SS. Trinitatis in Liturgia 6. 13. 24 s. 374. 138.

Necessitas gratiae in educando Christiano 174 s.
nomen Papae, deletio in libris liturgicis schismaticorum 59.
nuditatis ritus in cultu Adamitarum 5.
numerus praedestinatorum soli Deo cognitus 101.

Objectiones contra valorem dogmaticum Liturgiae 123 ss.
Offertorium Missae pro defunctis 76.
opera caritatis in Liturgia 164.
opus creationis in Liturgia 156; - Redemptionis 156; - regenerationis 156.
opus sanctificationis nostrae in Liturgia 156.
Oratio -fidelium, argumentum pro necessitate gratiae 79.
oratio liturgica directa ad Christum 5.
— — diuturne approbata 216; - - efficacitas 214.
— — est oratio authentica Ecclesiae 216; - - Ecclesiae universalis 209 s.;
— — est oratio filialis et maxime fiducialis 217; - - indefessa et continua 217; - - vere catholica, omnes amplectens et omnium necessitates 217 s.
— — est vera oratio 205 s.
oratio liturgica et privata 208 s.
— fovet spiritum orationis 215.
- ----, fructus 213 s.
— - - omnibus adaptata circumstantiis 206 s.
oratio liturgica per Christum 210 s.; - - relatio ad Christum 210 s.
— liturgica, praestantia 205 ss. 209 ss.
— — tamquam laus divina 211 s.
------ tamquam summa orationis 215 s.
------ valor 67.
oratio pro defunctis 105.
orationes, conclusio contra haereticos 24.
— liturgicae et dogma 68.
------ sunt ipsiusmet Ecclesiae orationes 90 s.
Orationes Missarum 17'; - sunt fides Ecclesiae 92; - valor theologicus 16.
ordinatio Liturgiae non a plebe 48; - praebet fidem orthodoxiae 18; - reservatur Summis Pontificibus 52 ss.
Ordo et Ordinatio XVI14.

Paenitentia, doctrina liturgica de Sacramento 104. 137.
participatio fidelium in cultu liturgico X s; cf. *fidelium participatio.*
parusia Domini in Liturgia 156 ss.
S. Pascha, finis et fructus festi 44.
peccatum, doctrina liturgica 137.
peccatum originale, doctrina in Liturgia 26. 94.
Pelagiani confutantur ex Liturgia 26. 78.
petitiones liturgicae 168.
pietas liturgica 140; - valor 153 s; - variat secundum tempus anni liturgici 186.
praecepta liturgica, valor didacticus 40 s; - valor theologicus 15.
praeceptum universale recitandi Officium alicuius festi coaequatur definitioni 107.
praedicatio ex materia liturgica apud Patres 134 s.
praefatio de SS. Trinitate 101 s.
Praesentatio BVM, idea ascetica 159.
praesentia mystica in Liturgia 42 s.
praestantia asceticae a Liturgia insinuatae 146.
praestantia Liturgiae Romanae 27 s. 96 s.
praedicationis liturgicae 135 s.
probatio fidei ex Orationibus Missae 96 s.
processio eucharistica, significatio 15.
processiones theophoricae, finis et fructus 23.
professio fidei Pii IV, commentarium XIV; - in Liturgia 16.

professio monastica et religiosa, ratio 166.
Protestantium impetus in Liturgiam 59 s.
Psalmi et orationes liturgicae sunt oratio per excellentiam 206 ss.; - sunt oratio proprie dicta 206; - vox Ecclesiae 207;
— omnibus adaptatae circumstantiis 206 s.
pulchritudo, studium in Liturgia 41.
purgatorium, argumentum liturgicum 105.

Quadragesima tamquam exercitia spiritualia Ecclesiae universalis 156.

Ratio celebrandi quotannis mysterium Redemptionis 151.
— conveniendi ad ecclesiam 172.
rationes liturgicae pro efformatione christiani 176 ss.
recitatio Breviarii semper est communis oratio Ecclesiae 199.
regalitas Christi in Liturgia XVIII.
remissio peccatorum in Liturgia 183.
res liturgicae, valor theologicus 14.
res naturales in Liturgia sunt symbolum rei supernatural!» 159.
ritus Baptismi et fides 6.
-------, valor didacticus 40.
Rubricae confectionem Sacrificii et Sacramentorum certam reddunt 119 s.

Sacerdos, munus et officium X.
sacerdotii christiani munus et dignitas, doctrina liturgica 138.
Sacramenta, essentiale et character socialis 194 s.
SS. Sacramentum expositum et Reliquiae 15.
Sacramentum Ordinis XVIII.
Sacrificium eucharisticum et vetera sacrificia ex Liturgia illustrata 137°.
Sanctorale, valor didacticus 40.
S. Scriptura, explicatio in Liturgia 12.
sentire eum Ecclesia, quomodo in festis et temporibus anni liturgici 186.
sinus Abrahae 104.
societas fidelium cum Angelis et Sanctis in Liturgia 203.
– viventium cum Defunctis 202 s.
spiritus Liturgiae 140.
Spiritus Sanctis, doctrina in Liturgia 25.
-------doctrina liturgica 137.
------ persona et opus in Liturgia 13.
Summi Pontifices, cura eximia de Liturgia X. 46 ss.
Summi Pontifices valorem theologicum Liturgiae contestantur 62 ss.
symbolismus liturgicus 14. 38.
symbolum Apostolorum in Liturgia 15 s; - Epiphani! in Liturgia 16; - fidei in Liturgia 15 s; - Nicaeno-Constant. in Liturgia 16.
— Athanasianum, argumentatio ex eo 102.
synaxis eucharistica, influxus in veteres christianos 195 ss.

Tempora liturgica, valor didacticus 39 s.
Temporale, valor didacticus 39.
terrena et caelestia in Liturgia 443.
Testamenti Veteris ad Novum relatio 12.
textus liturgici tamquam fidei expressio 15 s.
-------argumentatio ex eis 114 ss; - augmentatio certitudinis ex frequenti usu 117; -, relatio interna ad finem 114 s; -, requiritur univocitas 116.
------ -, valor theologicus 218.
theologia liturgica, ubi primus titulus XIV.
traditio instrumentorum in Ordinatione 121.
traditio liturgica 10.
transsubstantiatio Hostiae in missa 101.
SS. Trinitas, doctrina liturgica 138.
—, in Liturgia 6.

Unctio extrema in formula breviore, validitas 119.
unitio fidelium in Liturgia cum episcopo 201; - cum hierarchia ecclesiastica 201; - eum Papa 202; - inter seipsos 200.

Valor Liturgiae moralis-asceticus confirmatur Summorum Pontificum testimoniis 171 s.
Valor Liturgiae paedagogicus 173 ss.; theologicus in Concilio Mechlinensi et Tridentino 63 s.

valor moralis instructionis liturgicae 149 s.
veritates fidei in Liturgia expressae 13; - sunt profitendae 17.
------ statim in Liturgia exprimuntur 22 s.
vestis alba, significatio 15.
vigiliae, ratio 167; - observantia in Liturgia 164.
virtus religionis, anima Liturgiae 161.
virtus spei in Liturgia 162.
visibilia in Liturgia docent invisibilia 158 s.
vota religiosa et Liturgia 145.

Tipografia della Casa Editrice Marietti - Torino, Via Legnano 23.
Finito di stampare in Gennaio 1947.